1666

1666

EXAMEN THEOLOGICVM,

BREVI ET PERSPI-cua methodo con-ſcriptum.



Martinus

Benedicto Aretio Theologo Bernenſi.

SVPERIORI EDITIONI acceſſerunt duo Lemmata: prius de lectione, poſterius de interpretatione ſacræ ſcripturæ: huic etiam poſtremæ editioni acceſſit breue opuſculum de formandis ſtudiis, eodem authore.

Editio quinta.

Semper agas cautè, & Christum ut te dirigat
Nescit enim p̄sens, q̄d ferat hora
Sequens.
Mores.

LAVSANNÆ,

Excudebat Franciſcus le Preux, Illuſtriſſ. D. Bernenſium Typographus.

CIↃ IↃ LXXIX.

Agitata Crescit Virtus.

Typographus candidô Lectori S.

QVVM satis antehac perspexerim Theologicum hoc opusculum tibi, candidè lector, tantopere probari, vt quintò demum sub incudem esset mihi subiiciendum: non in lucem esse priùs emittendum duxi quin castigatißimum atque suis omnibus tandem partibus haberes absolutum. In hac itaque editione præter primas, quæ sequuntur præstitimus. Ac primò quidem consilio authoris dum adhuc superstes esset, inserenda fuerunt Lemmata duo: prius de lectione sacræ Scripturæ: posterius de interpretatione eiusdem, quibus sanè nihil iucundius vel vtilius requiras.

Deinde aliud elegantißimum de formandis studiis opusculum subiecimus: mendis omnibus repurgatus, quibus hæc omnia antè scatuerāt. Atque hoc quidem postremum incuria nostra perire non decebat. Nam cùm de formandis studiis agat: quotusquisque est studiosorum, qui dū se ad aliquod liberalium artium genus accingit, hoc in primis auxilio se adiuuari non patiatur? Postremò etiam indicem contexendum curauimus. Tractatum eiusdem Aretii, de sacrosancta Domini Cœna, seorsim excusimus, quem simul cum hoc libello qui volet compingere poterit. Hæc igitur omnia quæ in tuam gratiam effecimus, vt spero, boni consules. Vale.



BENEDICTVS ARETIVS, B. NOACHO Andreæ Fortunato, Lausannensi, S. P. D.

LAVDABILIS ille mos est in Ecclesia Christi, quo illi, qui Ministerio verbi præficiendi sunt, priùs de doctrina & vita sua tolerabilem reddant rationem. Etenim consuetudo illa, hinc ab Apostolorum temporibus promanasse videtur. Apostolus in 1. ad Tim. 5. 22. præcipit, Ne cui manus facilè imponat. Et 1. Tim. 3. 2. Canonem generalem præscribit, quem repetit ad Tit. 1. 6. quo depingit doctrinã & mores futuri Ministri. Quod non videtur alio fecisse consilio, quàm vt posteri viderent, quales admitti debeant, qualésve meritò reÿci possint. Verba Canonis sunt: Oportet *igitur Episcopum irreprehensibilem esse, vnius vxoris maritum, vigilantem, sobrium, compositũ, hospitalem, aptum ad docendum, nõ vinosum, nõ percussorem, non turpiter lucri cupidum: sed moderatum, alienum à pugnis, ab auaritia: qui suæ domui bene præsit, qui liberos habeat in subiectione cum omni honestate. Nã si quis propriæ domui præesse nõ potest, quomodo is Ecclesiam Dei curabit? Non nouitium: ne inflatus in iudiciũ incidat diaboli.* Oportet *autem eum etiam bonum*

1. Tim. 3. 2.

habere testimoniũ ab iis qui foris sunt: ne in probrum incidat, & laqueum diaboli. Diaconos itidem honestos, non bilingues, non multo vino deditos, non turpis lucri cupidos: tenentes mysterium fidei cũ pura conscientia. Atque hi etiam probentur priùs, deinde ministrent si sint inculpati. Ex his virtutibus facilè perspici potest quid Apostoli in ordinandis Ministris Ecclesiarũ secuti sint, & quid posteritatem vellent sequi. Quanta verò cũ grauitate & sobrietate peractæ sint huiusmodi electiones, colligi potest ex idoneis exemplis. In Act. cap. 6.3. eliguntur septẽ Diaconi, viri quidẽ spectatæ probitatis: attamen precibus adhibitis, & impositione manuũ eos in officio confirmant. Actor. 13.1. Spiritus sanctus deposcit Barnabam & Paulum ad opus docendi inter Gentes Euangelium: sed non dimittuntur priùs quàm ab Ecclesia Antiochena, ieiunio, oratione, & impositione manuum admonerentur sui officii. Itaque certißimũ est magna grauitate, & sobriè electiones factas esse. Habent etiã Canones Apostolici dicti multa, quæ si à posteris seruata essent, maior vtique authoritas mansisset in Ministerio, & minora forent Ecclesiæ Christi offendicula. Nunc verò cùm à consueta grauitate, & sobrietate recessum sit in electionibus, mirũ nõ est Ministerium grauari multis inutilibus doctoribus, & ignominia ac contẽptu onerari. Quæ qualia sint, nihil attinet hîc dicere.

In reformatis Ecclesiis eo nomine sanctior est ele-

electio, quòd fidei, & doctrinæ ratio certior eſt reddenda. Petuntur fundamenta ex ſacris literis de Deo, Trinitate, lapſu hominis, reparatione, iuſtificatione, merito Chriſti, de gratia, fide, bonis operibus, aliiſque locis. Quæ omnia ex fontibus ſcripturæ confirmanda ſunt, mores & vita quoque meliùs excutiuntur. Interdũ non ſine precibus fit electio: alibi adhibetur impoſitio manuũ quæ efficax eſt, vt olim fuit, vbi Spiritus ſanctus gubernator eſt electionũ. Ac optandũ erat, maiori adhuc ſeueritate adminiſtrari, quò ſcandala ab Eccleſia, & leuitas ab ordine docentiũ tolleretur. Quæ tamen omnia deplorari rectiùs, quàm corrigi hodie poſſe videntur. Cæterùm cùm examina hodie in primis doctrinæ peritiam concernant: ad hanc ipſam Quæſtiones iſtæ propoſitæ ſunt. Ac primitus quidem nudas propoſuimus ſine reſponſionibus, non alio certè fine, quàm vt examinandi magis probarentur: verùm cùm eos in his laborare deprehendi, explicationẽ adieci breuibus reſponſionibus comprehenſam.

In his eum ſecutus ſum ordinem, quẽ mihi facillimum putabam docenti in ſchola. Et quia in Catecheſi, vt in alijs præceptionibus pietatis præcipuè ſpectari ſolet, τὸ χρήσιμον, τὸ ἀληθὲς, *&* τὸ ἀκόλουθον ταῖς ἀρχαῖς: *ad illa tria in primis hæc noſtra retulimus. Quæ quantùm ſimus aſſecuti, libenter aliis candidè iudicantibus, permittimus.*

Ad te autem, mi Noache, illa mitto, quòd te

his inprimis delectari significares : & vt illa publicarē, ne nunc quidē solicitare desinis. Accedit quòd qui has Quæstiones circunferunt scriptas, corruptas & mutilas habent: adeò vt quoties proponuntur, noua emendatione & explicatione sit opus. His de causis motus, tibi permitto, mi Noache, vt illas edas. Dabis autē operā, vt id quàm castigatißimè fiat. Etiam atque etiam vale, Bernæ, Calend. Martij, 1570.

T. T. B. Aretius. B.

EXA-

EXAMEN THEOLOGICVM.

DE MINISTERIO.

Quid est Ministerium Ecclesiæ?

ST ordinaria functio Ecclesiæ ad docendam sanam doctrinam: Sacramentorum & disciplinæ morum administrationem, ad certam & euidentem Ecclesiæ vtilitatem.

Cur debet ordinaria esse vocatio?

Quia hoc requirit certitudo fidei nostræ, ne quouis vento doctrinæ circunferamur. Eph. 4. 14. Deinde quia omnia in Ecclesia debēt fieri decēter & ordine. 1. Cor. 14. 40. Igitur munus etiā docēdi, ordinaria vocatione, certis debet cōmitti. Præterea Apost. illa sunt vsi. Act. 1. 23. vbi ordinariè elegerunt Matthiam in locū Iudæ. Et Titus ob id in Creta est relictus, vt oppidatim constitueret Episcopos. Tit. 1. 5. Extat etiam præceptum Apostoli, ne cui manus citò imponatur. 1. Tim 5. 22. Denique institutio est Christi qui dedit alios Apost. alios Prophetas, Euāgelistas, Pastores, Doctores, &c. Eph. 4 11. 1. Cor. 12. 28. Sūma, Deus est ordinis author, ideò in Ecclesia sua omnia vult ordine fieri. Vnde illa Nazianz. sententia. οὐκ ἔστι θεὸς ἀκαταστασίας, καὶ ἀταξίας, ἀλλὰ εἰρήνης καὶ τάξεως.

Quis est finis ministerij?

Certa vtilitas. Quia omnia dona in Ecclesia sine vtilitate certa damnãtur, vt 1. Cor. 14. 6. linguarum donum damnat διὰ τὸ ἄκαρπον. inde est, quod 1. Cor. 12. 7. cuique data est manifestatio spiritus ad vtilitatem. Hanc vtilitatem clariùs explicat ad Eph. 4. 12. ad instaurationẽ sanctorum, ad ædificationẽ corporis Christi.

Quot sunt ministerij partes?

Tres. *Quæ?*

1. Cura sanæ doctrinæ retinendæ, & propagandæ,

2. Administratio Sacramentorum,

3. Disciplina morum.

Vnde sumpta est partitio?

A materia circa quam versatur,: ac de doctrina quidem manifesta sunt Apostoli testimonia. 2. Tim. 3. 13. Formam habeto sanorum sermonum. 1. Tim. 6. 3. Siquis diuersam sequitur doctrinã, & non accedit sanis sermonibus Domini nostri Iesu Christi, & ei quæ est secundùm pietatẽ doctrinæ, is inflatus est, nihil sciẽs. 2. Tim. 2. 1. Tu, fili, fortis esto in gratia, quæ est per Iesum Christũ, & in iis quæ audiuisti à me per multos testes, hæc commẽda fidelibus hominibus, qui erunt idonei, vt alios quoque doceant. Tit. 1. 9. Inter dotes ministri ponitur vt potens sit cohortari per doctrinam sanam. Tit. 2. 1. Tu loquere quæ decent sanam doctrinam.

Quare

Quare Sacramentorum administratio ad ministrum pertinet?

Quia sunt dispensatores mysteriorũ Dei. 1.Cor.4.1.& de Baptismo manifestus est locus Matt.28.19 docete omnes Gentes baptizantes eos,&c. De Cœna verò Domini, in verbis institutionis dicit D.Christus,hoc facite, quod licet non præcisè distributionem significet: tamen decet aliquos his actionibus præesse,quod nemo meliùs potest quàm minister ipse.

Quomodo disciplina morum ad ministerium pertinet?

Hoc modo, vt primùm suæ familiæ bene præsit. 1.Tim.3.4.sic fiet,vt auditoribus non sit vel occasio diffidentiæ,vel scãdali. Deinde publicam morum corruptelã castiget verbo Dei sine vi corporali.Matth.16.

Quid in his,qui ad hoc munus recenter vocantur,est requirendum?

Voluntas & facultas,hoc est,an velint & possint munus docendi in Ecclesia subire ad certam Ecclesiæ vtilitatem.

Quid in voluntate expendi debet?

1.Quæ sit iusta habenda muneris huius voluntas.

Deinde quibus mediis aditum sibi ad id faciant.

Quomodo igitur iudicandũ est de volũtate?

Ex facultate: vt nõ solùm velit docere alios:

ſed tolerabili doctrina ſit inſtructus, donū habeat docendi, & vitæ bonum teſtimonium.

Quæ eſt hîc varietas obſeruanda?

Quadruplex naſcitur diſcrimen ex voluntatis & facultatis combinatione. Nam

Alii
1. Volunt, & poſſunt.
2. Volunt, non poſſunt.
3. Poſſunt, & nolunt.
4. Nec volunt, nec poſſunt.

Licebitne igitur his, qui poſſunt, munus docendi petere?

Licebit: ſed ita, vt quemadmodum piū eſt ad alios honeſtos labores ſeſe offerre, quibus & par ſis, & neceſſitas poſtulet officiū tuū: ita licebit appetere docēdi munus, ſed afferenti mediocris induſtriæ & doctrinæ coſcientiam, vitæ integræ teſtimonium, & relinquēti iis ſui iudicium, ad quos vocandi ius ordinariè pertinet.

Da locum ſcripturæ?

Diuus Paulus 1. Tim. 3. 1. inquit, Fidelis ſermo, ſiquis Epiſcopatum appetit, honeſtum munus deſiderat. Quē locum intelligo de hoc primo hominū genere, qui non ſolùm petunt, ſed poſſunt officiū ſuū præſtare vtiliter Eccleſiæ.

Quid hoc loco eſt Ἐπισκοπή?

Epiſcopatum vertunt, & Epiſcopi munus, quod nomen non eſt authoritatis, nec dignitatis: ſed diligentiæ, laboris, curæ ac vigilantiæ,

Can. 58 quod ex Canone illo perſpici poteſt. Epiſco-

pus

pus vel presbyter, qui ſortē ſibi cōmiſſam, aut populum negligit, non docendo eos pietatem, excludatur: perſeuerans autem in iſta officii negligentia, deponatur. Et D. Chryſoſt. hunc locum explicans ait, Siquis Epiſcopatum appetit, non principatus aut dominationis faſtu: ſed cura regiminis & charitatis affectu, non improbo: bonum quippe deſiderat opus. Et lib. 3. de Sacerdotio, cap. 10. cùm δεινὸν hoc appellaſſet, ait, ἐγὼ δὲ οὐ τοῦ ἔργου τὸ δὲ αὐθεντίας, καὶ δυναστείας ἐπιθυμεῖν, εἶπον εἶναι δεινὸν, id eſt, ego verò non ipſum opus appetere, ſed authoritatem, atque potentiam graue eſſe dicebam. Quare hîc non ſomniemus præbendas, authoritatem dicendi iuris, aut gubernationem.

Quid de iis qui cùm nō poßint, ambiūt tamē?

Teſtātur illi non ad certā & euidentem Eccleſiæ vtilitatē ſeſe velle ingredi, ſed pietatem in ſuū quæſtū conuertere. Quare cogitēt, quid Dathan & Abiron reportarint. Num. 16. 31 & Act. 8. 20. Simon ille Magus à Petro audierit. Ad eos pertinet id quod Iere. 23. 32. dicit, Faciunt errare populū meū mendaciis ſuis, cùm ego non miſerim illos, nec præceperim eis, & ſic nulla vtilitate præſunt populo huic, dicit Dominus. Piè inquit D. Chryſo. Si nulla eſſet pœna conſtituta gregem Chriſti malè paſcenti: tamen omni pœna grauius eſſe iudicarem, adeò eſſe improbum erga illum qui πράγματα οὕτω μεγάλα commiſit.

Quid verò si adsit facultas, nolint autem?

Consideretur necessitas. Nam si Ecclesiæ per alios cõsuli possit & hi de Ecclesiæ bonis non vixerunt, nec viuunt, cogi facilè non possunt. Sin de Ecclesiæ bonis alti sint, aut inde adhuc viuant, par est vt operam suam Ecclesiæ non denegent. Id cũ sacris literis congruit & Canonibus. Nam concilium Chalcedonense expressè vetat, ne quis ad vllam Ecclesiæ præbendam (vt vocant) admittatur, nisi imposito ei certo munere.

Sin autem de Ecclesiæ bonis non viuant, postulet autem necessitas?

Tales cogi possunt. Plus enim valere debet publica vtilitas, & authoritas Dei & Ecclesiæ, quàm priuatum de seipso iudicium. Sic vocatur Moses à Domino inuitus: & Paulus ex hoste Ecclesiæ subitò fit doctor Gentium.

Superest vltimũ genus eorum, qui nec volũt, nec possunt, Quales hi censendi sunt?

Si reuerà, quod profitentur non possunt, sinendi sunt, & meliùs illi consulunt saluti suæ, dum oues esse malũt, quod possunt, quàm pastoris nomen ambire, quod explere nequeunt. Sin tales sibi tantùm videantur superioribus sunt pares, & re postulante producendi. Sic D. Chrysost. dũ esset eligendus Episcopus, fugit in eremum, postea tamen protractus, Ecclesiæ bene præfuit.

Quomodo

Quomodo tuetur se Chrysostomus?

Is, inquit, præesse gregi Dominico debet, qui instructus est ad id, sed με ἄχρηστον πρὸς τὴν διακονίαν ταύτην ἡ τῆς ψυχῆς ἀσθένεια καθέστηκε, id est, me animi mei imbecillitas inutilem constituit ad hanc functionem. Ergo præesse non debeo. Deinde quia iuuenis sit, τίς γὰρ οὐκ ἂν εἴποι; παισὶν ἀνοήτοις πράγματα οὕτω θαυμαστὰ καὶ μεγάλα ἐπέτρεψαν· ἐλυμήναντο τοῦ θεοῦ τὸ ποίμνιον· παίγνια καὶ γέλως γέγονε τὰ χριστιανῶν, id est, quis enim non diceret? pueris stolidis, res adeò admirandas & magnas commisere, labefactarunt Dei ouile, iocus & risus factæ sunt res Christianorum. Tertiò, quia sum (inquit) νωθρὸς, ἡμεῖς δὲ ὅτι νωθροὶ καὶ παρειμένοι, καὶ πρὸς τὴν ἑαυτῶν μόλις ἀρκοῦντες σωτηρίαν, id est, Nos verò quia tardi & negligentes sumus, & vix ad propriam salutem retinendam instructi.

Lib. 2. cap. 4.
Lib. 2. ad finē.
Lib. 3. cap. 12.

Quæ est igitur iusta habenda erga munus illud voluntas?

Quæ Domini respicit gloriam, & Ecclesiæ vtilitatem, nihil sui hîc quærens. Impossibile enim est Christo seruire simul & Mammoni, nec est aliqua portio ipsi Belial cum Christo. 2. Cor. 6. 15.

Licebitne aditum sibi ad illud munus facere?

Offerre operam suam licere diximus, si reliqua, vt monuimus, adsint. Ingerere autem,

vel artibus vocationẽ extorquere, non eſt piæ mentis. Videmus Prophetas veteris populi, vt plurimùm inuitos pertractos: & in nouo Teſtamẽto, vocantur Apoſt. aliud agentes: Patres etiã magna ex parte eodẽ pacto producuntur, & parabola de meſſe Domini loquitur de meſſoribus extrudendis. Et Canones veteres ſeueriter animaduertunt in ambitionem illam, quæ hodie nimis eſt popularis. Inter alios habetur ille Canon, Si Epiſcopus, Presbyter, aut Diaconus per pecunias hanc dignitatem conſequatur, deponatur tum ipſe, tum is qui eum ordinauit: & excindatur ex cõmunione, vt Simon Magus. Actor. 8. 20. Græcè ſic habet, Εἴτις ἐπίσκοπος διὰ χρημάτων τῆς ἀξίας ταύτης ἐγκρατὴς γένηται, ἢ πρεσβύτερος, ἢ διάκονος, καθαιρείσθω καὶ αὐτὸς καὶ ὁ χειροτονήσας· καὶ ἐκκοπτέσθω τῆς κοινωνίας παντάπασιν, ὡς Σίμων ὁ μάγος, ὑπ᾽ ἐμοῦ Πέτρου.

DE FACVLTATE.

Facultatem quid appellas?

Δυνάμιν, quam D. Apoſtolus in Miniſtro requirit, ad Tit. 1. 9. vbi virtutibus futuri miniſtri illud adiicit, ἵνα δυνατὸς ᾖ καὶ παρακαλεῖν ἐν τῇ διδασκαλίᾳ τῇ ὑγιαινούσῃ, καὶ τοὺς ἀντιλέγοντας ἐλέγχειν. Id eſt, Vt poſſit etiam exhortari in doctrina ſana, & contradicentes conuincere. Item 2. Tim. 2. 2. iubet ſanam doctrinam ſibi

Ite scire scriptura thesin & antithesin, aliisq. aliter eã tradere.

bi traditam ad poſteros tranſmittere per homi-
nes, οἵτινες ἱκανοὶ ἔσονται καὶ ἑτέρους διδάξαι. i. Qui idonei ſint, vt & alios docere poſſint. Voco igi-tur facultatem illam ἱκανότητα καὶ δύναμιν, qua ſcripturam intelligimus, & eam vtiliter aliis poſſumus proponere.

1. Cor. 15. 9. nō ſum idoneus vt vocer Apoſtolus.

Vt verò de hac cōſtet, quæ erunt expendēda?

Tria. *Quæ?* Adminicula habeat ad intelligē-das ſacras ſcripturas. Deinde γνῶσιν ſcripturæ. Deniq. διδακτικὸν εἶναι, hoc eſt, vt idonea ſit ſcri-pturæ tractatio. Ad primū pertinēt cauſæ me-diæ, quibus meliùs & cognoſci & tractari po-teſt ſcriptura. Ad alterū pertinet peritia loco-rū ſcripturæ. Ad tertiū verò methodica cōcio.

Quæ igitur habes adminicula ad intelli-gendas ſcripturas?

Dona liberalium artiū & linguarum. Nam vt Dominus noſter Ieſus Chriſtus diſcipulos ore tenus inſtruxit, deinde poſt aſcenſionē de-dit Spiritum ſanctum, & donum linguarū mi-raculosè, quibus inſtructi cœperunt ſcripturas rectè & intelligere, & aliis aperire: ſic nos ho-die linguas & artes liberales habemus, quibus vel mediocriter inſtructi debemus accedere ad docendum alios. Præcipuè verò rogandus eſt Deus Pater per Filium, vt eundem Spiritum ſanctum doctorem pectoribus noſtris inſerat, cuius afflatu ſcripturarum arcana diſcamus in-telligere.

Organa

1. Linguæ.

2. Artes.

3. Spiritus ſanctus.

Quæ præcipuè vtiles ſunt ex artibus liberalibus ad intellectum ſcripturæ?

Dialectica. Omnes vtiles ſunt: præcipuè verò Dialectica. Quare optandum quidem erat omnibus nos inſtructos accedere: quod cùm raró fiat, Dialecticæ tamen imperitos non decebat per omnia admitti.

Quare Dialectica præ cæteris vtilis cenſenda eſt?

1. Quia hæc ſola de veritate in oratione & argumentationibus eſt ſolicita. Quare vt veritatis decet eſſe doctorem Miniſtrum: ſic illam vt veritatis venatricem non decet negligere. Hinc Auguſtinus contra Academicos lib. 3. cap. 13. hanc ſcientiam veritatis appellat, & ad omnem ſapientem pertinere: & cap. 17. eiuſdem, non dubitat, aut ipſam ſapientiā appellare Dialecticam, aut ſine qua, ſapientia eſſe non poſſit.

Deinde quòd huius beneficio quæſtiones cōtrouerſæ meliùs & dilucidiùs explicari poſſunt, quàm faciant illi, qui hac deſtituti ſunt. Quò facit locus ex eodem Auguſt. lib. 2. de doctrina Chriſtiana, cap. 31. vbi ait, quòd ad omnia quæſtionum genera, quæ in literis ſanctis ſunt diſſoluēda plurimùm valeat. Tantùm (inquit) ibi cauenda eſt libido rixandi, & puerilis quædam oſtentatio decipiendi aduerſarium.

Tertiò, quòd videamus Chriſtum & Apoſtolos

ſtolos vſos eſſe argumẽtationibus tum in ſuis tuendis, tũ in aduerſariis cõuincendis, quarum argumentationum formas ſola Dialectica explicat. Eius rei habemus etiam Auguſt. authorem, qui lib. 1. contra Creſconium copiosè vſum Dialecticæ declarans, oſtendit Chriſtum vſum eſſe, tum aliâs, tum Matt. 22. 18. de cenſu Cæſari dando. Et Apoſtolus Act. 17. 18. cum Stoicis acerrimis Dialecticis pedem confert. Copioſiùs autem oſtendit, quantus fuerit Paulus Dialecticus, capite 14. eiuſdem libri primi & cap. 20.

4. Denique videmus veterum præſtantiſſimos Theologos & noſtri ſeculi ſummos in re Theologica anteſignanos, præcipuè in hac excellere: quæ exempla nos ad eius ſtudium inuitare debẽt. Placet igitur quod Auguſtinus ſcribit lib. 1. cap. 20. Hanc artem quam Dialecticam vocant, quæ nihil aliud docet quàm conſequentia demonſtrare, ſeu vera veris, vel falſa falſis, nunquam doctrina Chriſtiana reformidat. *Contra Creſc. gram.*

Quare linguæ ſunt vtiles iudicandæ?

Quia ſunt inuolucra S. Scripturæ. Deinde in natiua lingua omnia ſunt pleniora, & minùs fallunt lectorem, cùm in verſionibus aliquando magna ſit vel obſcuritas, vel periculoſa ambiguitas, aut etiam inconciliabilis cõtradictio, quæ impedire linguarum peritum nõ poſſunt. Quare Auguſt. de Ciuitate Dei, lib. 15. cap. 14.

ait, Siquid habetur ita diuerſum, vt verum eſſe vtrunque non poſſit, rerum geſtarum fides ab ea lingua repetenda eſt, ex qua interpretatum eſt quod habemus.

Quæ ſunt iſtæ linguæ?

Aug. de mirabi. Scrip T.3. Tres primariæ, quibus titulus Crucis ſcriptus eſt, Hebræa, Græca, Latina. In his exercuerunt ſe Patres fermè omnes Latini. Hieronymus multo ſudore Hebræam ſeſe didiciſſe declarat in Epitaphio Paulæ. Eandem Auguſtinus tandem didicit, cùm leuiùs de ea initio iudicaſſet. Sunt ab Hebræis etiã inſtituti Clemens, Origenes, Euſebius, quos non pudet interdum ſuos citare præceptores. Et D. Hieronym. Ruffinum imperitiæ linguarũ præcipuè taxat, qui ei multas linguas obiecerat, cui reſpondet hoc modo, Tu bilingis eris, qui tantã habes Græci, Latinique ſermonis ſciẽtiã, vt & Græci te Latinum, & Latini te Græcũ putẽt. Alii ſtudio veritatis ſeipſos propè ſuperarunt in addiſcendis linguis, quod de Epiphanio ſcribit. Hiero. quem πεντάγλωττον vocat, quinque linguis contra Ruffinum loquentem.

Reſpõde de Hebræa ſeorſim, cur illa vtilis eſt?

Aug. de doctr. Chriſt. lib.2. T.16. Propter vetus Teſtamentum, in quo ad ſoluenda ænigmata, & loca obſcura non paruam vim atque adiumentũ habet. Quare D. Hiero. ſæpe iubet ad eam recurrere. vt cap.8. Zachariæ ad Hebræos remittit, & ſcientiæ veritatem

de fonte

de fontemagis,quàm riuulis iubet quærere.In epiſtola ad Auguſtinum , Sicubi dubites , Hebræos interroga. Item in Sophoniam ,c.3.explicans verſum illum.Nugas quæ à lege receſſerunt,congregabo:ait Hebræum eſſe vocabulum, Nugas.Nam illic ſcribitur *Nogue*, vt agnoſcas Latinum ſermonē in Hebræo ex quo noſſe poſſumus Hebræam linguam omnium eſſe matricem.

Quare Græca vtilis eſt?

Propter nouum Teſtam. quod ſine notitia Græcæ linguæ,in qua ſcriptū eſt, nō poteſt facilè intelligi.Ac eſtò, intelligatur propter fidē interpretum,tamen multa loca faciliora erunt in natiua lingua,quàm transfuſa in peregrinā. De quo D.Hiero. ad Damaſum in præfat.in quatuor Euāgeliſtas, vbi reddit rationē emēdationis.Si,inquit,Latinis exemplaribus eſt fides habenda,reſpondeant quibus? Tot enim ſunt exemplaria,quot codices. Sin autē veritas eſt quærenda de pluribus,cur non adGræcam originem reuertentes,ea quæ vel à vitioſis interpretibus malè reddita: vel à præſumptoribus imperitis emendata peruerſiùs vel à librariis dormitātibus, aut addita ſunt, aut mutata corrigimus? Idem tractat in epiſtola ad Marcellam,quæ eſt vltima Tom. tert. Diuus Auguſtinus quoque ſæpiuſculè conſulit Græca exemplaria in explicandis quæſtionibus, quod

fecit in epiſtola 59.ad Paulinum multis dictionibus explicans locum 1.Tim.2.Et ſermone 15. explicans locũ Apoſt.ad Philipp.2.vbi ex Græco legit emendatè,Spiritui Dei ſeruimus: cùm alii legerent,Spiritu Deo ſeruimus.

Quid eſt γνῶσις Scripturæ?

Eſt peritia ſacrarum literarum, per quã ad omnem materiam loca Scripturæ idonea proferre poſſumus ad docendum,ſiue conuincendum,corrigendum,ſiue inſtituendũ. Præterea cùm in his Chriſti myſteria ſint abſcondita, quomodo nõ turpe ſit has nõ probè habere cognitas? Nã veriſſimũ eſt quod ait D.Hieronymus:Ignorare Scripturã, eſt Chriſtũ ignorare.

In præfat.in Eſa.

Quomodo nota poterit nobis eſſe?

Aſſidua lectione & meditatione: in qua re habemus exẽpla Patrum, Auguſtini præcipuè & Hieronymi: quorum hic poſterior epiſtola 12.Furiæ viduæ idem præſcribit conſilium his verbis,Quando comedis, cogita ſtatim tibi eſſe legendum de Scripturis ſanctis, habeto fixum verſuum numerũ: iſtud penſum Domino tuo redde, nec antè quieti membra tua concedas, quàm calathum pectoris tui hoc ſubtegmine impleueris. Et poſt Scripturas ſanctas, doctorũ hominũ tractatus demum lege,& eorum duntaxat,quorũ fides nota eſt.Sed ad hanc diligẽtiam præcipuè nos excitare debet præceptum Domini noſtri Ieſu Chriſti, Ioan.5.39.qui ait,

Ἐρευνᾶτε

Ἐρευνᾶτε τὰς γραφὰς ὅτι ἐκεῖναί εἰσιν αἱ μαρτυροῦσαι περὶ ἐμοῦ. Id eſt, Scrutamini Scripturas : quia illæ ſunt quæ teſtantur de me.

Peritia Scripturæ quæ habet capita?

Duo habet. Notitiam contextus, & locorũ communium. Ad prius pertinet multiplex & iterata lectio, qua nota nobis redditur verbotim Scriptura. Ad poſterius locorum communium apta quædam explicatio & tractatio.

De Lectione poſtea, nunc de Scriptura reſponde, quid eo nomine intelligis? *Infrà fol. 59.*

Noui & veteris Teſtamenti libros.

Quæ eſt ſumma librorum veteris Teſtamenti?

Continent hi libri hiſtoriam Eccleſiæ fidelium, præcipuè viuẽtium ſub Lege, ſpe & fide Legis impletorem ſecundùm promiſſiones expectantium.

Eſtne horum librorum par ratio & eadem dignitas?

Apud Hebræos eadem eſt authoritas: Latini tamen & Græci, qui plures agnoſcunt libros veteris Teſtamenti, quàm Hebræi, differenter illis authoritatem concedunt. Hinc manauit illa diſtinctio, qua in libros Canonicos & Apocryphos ſeparantur.

De Canonicis priùs agamus, quomodo hi diuiduntur?

In nouo teſtamento Matth. 7. & 11. In Legem & Prophetas diuiduntur. Apud Hebræos triplex eſt eorum diſtinctio, ſiue ordo. In primo ordine collocantur libri quinque Moſis, Gen. Exod. Leuitic. Num. Deuter. Atqui hi propriè *Torah*, hoc eſt Lex, appellantur. Nā in his Eccleſiæ veteris politia, & ſacrorum ritus continentur.

Quis eſt ſecundus ordo?

Prophetarum, quos *Neviim* appellāt: & hos diſtinguunt in *Reſchonim*, hoc eſt, priores, qui ſunt libri Ioſué, Iudicum, Samuelis duo, Regum duo. Et in *Acharonim*, hoc eſt, poſteriores. Ex quibus Maiores ſunt tres. Eſaias, Ieremias, Ezechiel. Minores verò duodecim.

Recenſe ordine Minores?

Hoſeas, Ioel, Amos, Abdias, Iona, Micha, Naum, Habacuk, Sophonias, Haggai, Zacharia, Malachi.

Qui ſunt tertii ordinis libri?

Kethuvim, hoc eſt, ſcripta hagiographa.

Quare ſic appellantur?

Quòd à viris ſanctis, de rebus ſacris ſeorſim ſcripti ſint.

Recenſe hos libros?

Pſalt. Prouerbia, Iob, Daniel, Eſra, cum quo Nehemia pro vno reputatur libro. Paralipomenωn duo etiam pro vno, Cantic. Canticorum,

rū, Ruth, Threni, Ecclesiastes, & liber Esther. Hi sunt 24. libri in Canone apud Hebræos, quos appellant *Esrim vearba.*

Súntne alij extra Canonem?

Apud Hebræos nulli sunt, qui in Biblico corpore contineantur. Apud Græcos tamen & Latinos sunt adhuc duodecim.

Quomodo hi appellantur?

Ecclesiastici & Apocryphi.

Cur ita?

Quia ab Ecclesia admissi sunt, vt priuatim legi possint, non autem ad probandum vel improbandum aliquid, vt debeat inde produci authoritas.

Qui sunt isti?

1. Tobias. 2. Iudith. 3. Baruch. Epistola Ieremiæ. 5. Carmen trium puerorum. 6. Esdras. 7. Sapientia Solomonis. 8. Sapientia Syrach. 9. Susannæ historia. 10. Historia Draconis Beel. 11. Machabæorum libri tres. 12. Iosippi liber. Sic apud Græcos extant. Latini Iosippum non agnoscunt, sed addunt superioribus adhuc fragmentum è libro Esther, & quartum librum Esdræ.

Qui sunt libri Canonici noui Testamenti?

Qui à tota Ecclesia publicè recepti sunt, & hodie extant hoc ordine: Euangelia quatuor, Matth. scilicet, Marci, Lucæ, Ioannis, Acta

Apostolorum. Inde sequuntur 14. Epistolæ Pauli: Ad Romanos vna, Ad Corinth. duæ, Ad Galat. vna, Ad Ephesios vna, Ad Philip. vna, Ad Coloss. vna, Ad Thessal. duæ, Ad Timoth. duæ, ad Titum vna, Ad Philemo. vna, & ad Heb. vna, Inde Epistola Iacobi vna, Petri duæ, Ioannis tres, Iudæ Apostoli vna, & Apocalypsis Ioannis.

Vnde habetur hic librorum Canon?

~~Ex consensu vniuersalis Ecclesiæ, qui nobis hos libros sub augusta & sacra authoritate commendat.~~

Vnde hoc probas?

Eusebius hos libros ita recenset ex Melitone, lib. 4. cap. 26. Ecclesiasticæ hist. Item lib. 6. cap. 18. ex Origene, noui & veteris Testamenti canonem refert. Augustinus etiam lib. 2. De doctrina Christ. cap. 8. veteris Testamenti libros recenset 44. sed Apocryphos cum Canonicis enumerat. Noui autem Testamẽti libros omnes, vt recensuimus, mutato ordine paululum. Denique Canones Apostolici, vt appellantur, eosdem habent, & citatur is in Iure Canonico.

Origen. in explicat. Psal. 1.

Canone 50. in aliis 85.

Verba canonis.

Ἔστω πᾶσιν ὑμῖν κληρικοῖς καὶ λαϊκοῖς βιβλία σεβάσμια καὶ ἅγια. Τῆς μὲν παλαιᾶς διαθήκης, Μωσέως πέντε: Γένεσις, Ἔξοδος, Λευϊτικὸν, Ἀριθμοὶ, Δευτερονόμιον. Ἰησοῦ υἱοῦ Ναυῆ ἕν. Κριτῶν ἕν. Ῥοὺθ ἕν. Βα-

ἕν. Βασιλειῶν, τέσσαρα. Παραλειπομένων, τῆς βίβλου τῶν ἡμερῶν, δύο. Ἐσθὴρ, ἕν· Μακαβαϊκῶν, τρία· Ἰώβ, ἕν. Ψαλτηρίου, ἕν. Σολομῶντος, τρία, Παροιμίαι, Ἐκκλησιαστὴς, Ἆσμα ἀσμάτων. Προφητῶν δεκαδύο· Ἠσαΐου, ἕν. Ἱερεμίου, ἕν. Ἰεζεκιὴλ, ἕν. Δανιὴλ, ἕν. Ἔξωθεν δὲ προσιστορείσθω ὑμῖν μανθάνειν ὑμῶν τοὺς νέους τὴν σοφίαν τοῦ πολυμαθοῦς Συράχ. Ἡμέτερα δὲ, τοῦτ᾽ ἔστι τῆς καινῆς διαθήκης: Εὐαγγέλια τέσσαρα, Ματθαίου, Μάρκου, Λουκᾶ, Ἰωάννου· Παύλου ἐπιστολαὶ δεκατέσσαρες. Πέτρου ἐπιστολαὶ δύο. Ἰωάννου τρεῖς· Ἰακώβου μία· Ἰούδα μία. (Κλήμεντος ἐπιστολαὶ δύο. καὶ αἱ διαταγαὶ ὑμῖν τοῖς ἐπισκόποις, δι᾽ ἐμοῦ Κλήμεντος, ἐν ὀκτὼ βιβλίοις προσπεφωνημέναι, ἃς οὐ δεῖ δημοσιεύειν ἐπὶ πάντων, διὰ τὰ ἐν αὐταῖς μυστικά) καὶ αἱ πράξεις ἡμῶν τῶν Ἀποστόλων, id est, Omnibus vobis cum Clericis, cùm Laici ſint hi libri auguſti & ſacri. Ex veteri quidem Teſtamento, Moſis libri quinque, Geneſis, Exodus, Leuiticus, Numeri, Deuteronomium. Ieſu filii Naue, vnus: Iudicum, vnus: Ruth, vnus: Regum, quatuor: Paralipomenon, libri dierum, duo: Eſther, vnus: Machabæorum, tres: Iob, vnus, Pſalterii, vnus: Solomonis, tres, ſcilicet, Prouerbia, Eccleſiaſtes, Cantica Canticorum. Prophetarum, duodecim: Eſaiæ vnus, Ieremiæ vnus, Ezechielis vnus, Danielis vnus. Extra verò hos concedatur vobis, vt iuuenes veſtri diſcant Sapientiam multiſcii Syrach. Noſtri verò, hoc eſt, Noui Teſtamenti libri ſunt, Euã-

gelia quatuor, Matthæi, Marci, Lucæ, Ioannis: Pauli Epiſtolæ 14. Petri Epiſtolæ duæ, Ioãnis tres: Iacobi vna: Iudæ vna: & Acta noſtra Apoſtolorum.

Omniáne ad ſalutem neceſſaria his libris continentur?

Libri Veteris & Noui Teſtamenti complectuntur omnia prorſus ad ſalutem neceſſaria, vt non ſit opus aliunde ſubſidium & adminicula ad ſalutem conſequendam quærere.

Id mihi oſtende.

Id primùm inde conſtat, quòd Chriſtus fideliſſimè docuit Apoſtolos. Docuit igitur omnia, quæ ad ſalutem erant neceſſaria. Apoſtoli etiam bona fide docuerunt, quæ acceperunt à Do. Chriſto. Quæ autem docuerunt, eadem etiam ſcripſerunt. Ex quo efficitur doctrinam Chriſti & Apoſtolorum literis ſacris comprehenſam eſſe perfectã, & continere omnia quæ ad ſalutem neceſſaria ſunt.

Quomodo hoc colligis?

Apud Ioann. 14. 25. ait Saluator, Hæc locutus ſum vobis cùm eſſem vobiſcum. Paracletus autem Spiritus ſanctus, quem mittet Pater in nomine meo, is docebit vos omnia, & ſuggeret omnia vobis, quæcunque dixi vobis. Ex quibus verbis colligitur, Apoſtolos omnia à Chriſto didiciſſe, non autem intellexiſſe, donec

nec Spiritu ſancto eſſent illuſtrati. Itaque poſt Pentecoſten effuſis in eos Spiritus ſancti donis, omnia intellexerunt quæ à Do. Chriſto iam antè acceperant: quod non poteſt intelligi, niſi de iis quæ ad ſalutem ſunt neceſſaria.

Da alium Scripturæ locum?

In 2. Epiſtola ad Timoth. cap. 3. 16. cùm Apoſtolus indicaſſet Timotheum notitiam ſacrarum literarū à puero imbibiſſe, addit, Quæ literæ poſſunt te ſapientem reddere ad ſalutem per fidē, quæ eſt in Chriſto Ieſu. Et cùm ſapientia ſit notitia rerum ad ſalutem neceſſariarum, ſi modò vera ſit ſapientia, & eam ſalutis ſapientiam tradere poſſint ſacræ literæ, ſequitur quòd tradunt res ad ſalutem neceſſarias, & quidem omnes. Alioquin non eſſet integra illa Scripturæ laus, quam eo loco ei tribuit Apoſtolus.

Recita illum Apoſtoli locum, qui ea verba ſubſequitur?

Omnis Scriptura diuinitus inſpirata eſt vtilis ad doctrinā, ad reprehenſionem ad correctionem, ad inſtitutionem, quæ eſt in iuſtitia, vt perfectus ſit Dei homo, ad omne opus bonum abſolutus.

Quid, hicne aliquid ad hanc cauſam facit?

Quod Scripturæ hîc inter alia tribuitur (ſi

quidem piè & diligenter tractetur) quòd hominem Dei efficiat ἄρτιον, hoc est, integrum & perfectum. Deinde ad omne opus bonum. ἐξηρτισμένον, hoc est, absolutum, & consummatum ad iustitiam. Perfecta est igitur Scriptura ad salutem: nec opus est alia vel doctrina, vel traditione ad salutem homini Christiano.

Potésne idem ex veteribus ostendere?

Possum, & quidem ex vetustissimis, qualis est Irenæus & Tertullianus. Apud Irenæum libro 3 cap. 1. sic legimus: Postquam surrexit Dominus noster à mortuis, & induti sunt Apostoli Spiritu sancto superueniente virtute ex alto, de omnibus adimpleti sunt, & habuerunt perfectam cognitionem salutis. Quod autem bona fide tradiderint Ecclesiis illa, nec simulatè aut imperfectè, vt quidam obiiciunt, idem Irenæus copiosè demonstrat cap. 4. Non oportet apud alios quærere veritatem, cùm Apostoli plenissimè in ea, scil. Ecclesia, contulerint omnia, quæ sunt veritatis, vt omnis, quicunque velit, sumat, ex ea potum vitæ.

Tertullianus autem de præscrip. hæret. omnia sciuisse ad salutem necessaria Apostolos, & omnia tradidisse manifestè affirmat. Quis, inquit, integræ mentis credere potest aliquid eos ignorasse, quos magistros Dominus dedit, indiuiduos habitos in comitatu, in discipulatu,

latu, in conuictu, quibus obscura quæque seorsim disserebat?

Tamen in religione multa obseruantur, quæ nominatim & disertè non præcipit.

Multa quidem obseruantur etiam à piis, quæ in sancta Scriptura disertè & nominatim expressa non sunt: sed illa ad salutem etiã non sunt necessaria. Nam Scriptura (sicut diximus) disertè & expressè tradit omnia, quæ ad salutem requiruntur. Imò etiam reliqua religionis præcepta ita plenè tradit, vt nihil prorsus recipiendum sit, vel in doctrinam, vel in mores vitæ, vel in ritus Ecclesiæ, quod non euidenter doceri queat, & demonstrari per Scripturas, & per illa quæ disertè & apertè à Scriptura sunt tradita. Nihil etiam erroris vel vitii possit contra religionem obrepere, quod non per eadem clara Scripturæ testimonia possit efficaciter confutari.

Quid igitur de traditionibus? Quid sunt?

Παραδόσεις appellantur: & sunt præcepta Ecclesiæ, absque scripto tradita, vel de doctrina, vel ritibus, vel moribus Christianæ religionis.

Accepitne igitur Ecclesia non solùm ἔγγραφα, sed quædam præcepta ἄγραφα?

Potest quidem hoc concedi, Ecclesiam etiam ab Apostolis quædam ἄγραφα accepisse.

Verùm non omnia ſub hoc titulo commendata ſtatim admittenda ſunt, cùm plurima ſic irrepſerint, quæ Chriſti doctrinæ & Apoſtolorum planè repugnant. Quare ad Scripturæ authoritatem, & Eccleſiæ ſanæ iudicium recurrendum eſt.

Da præcepta quædam ἄγραφα, & Scripturæ conformia?

1. Symbolum Apoſtolorum: Vera etiam interpretatio præcipuorum locorum Scripturæ.

2. Ita in ritibus ex traditionibus habemus ſanctificationē Dominicæ diei. Et quòd Cœna à ieiunis, & quidem manè, non autem veſperi celebratur hodie. Hæc & ſimilia rectè ſcribunt Patres, & à nobis piè concedi poſſunt, Eccleſiam accepiſſe ab Apoſtolis ſine ſcripto.

Eſtne par omnium ratio?

Non eſt omnium par ratio. Nam multa feruntur etiam apud veteres quæ vt per Scripturam non poſſent demonſtrari, ita etiam nihil momenti magnopere cōferunt ad religionem: qualia ſunt illa inter traditiones, de quibus Epiphanius, quòd Lazarus fuerit 30. annorum, cùm excitaretur à mortuis. Item quòd Zacharias, quem memorat Chriſtus interfectum à Iudæis inter veſtibulum & altare, fuerit pater Ioannis Baptiſtæ, hiſque ſimilia.

Quomodo igitur rectè diſtingui poſſunt?

1. Ad hunc modū. Aliæ ſunt Catholicæ, hoc

eſt,

est, quæ ab vniuersali Ecclesia obseruatæ sunt.

2. Aliæ sunt priuatarum Ecclesiarum, & certi temporis. Porrò inter Catholicas, quædam sunt obseruatu necessariæ: aliæ verò non sunt seruatu necessariæ. Vt exempli gratia, Symbolum Apostolorum, & qui sint libri Canonici, item quæ sit vera interpretatio præcipuorum Scripturæ locorum, & scitu obseruatu necessaria sunt. Traditio autem de non sumendo vel edendo sanguine, obseruatu non est necessaria: quanquam ab Apostolis posita sit, tempore autem penitus sublata. Certarum verò Ecclesiarum erant: quale est quod Augustinus refert, Mediolani sub Ambrosio die Sabbati non ieiunebant, cùm Romæ & in Africa fideles omnes ieiunarent.

Quæ sunt igitur iudicandæ Catholicæ & obseruatu necessariæ?

Quas constat Scripturæ esse consentaneas & obseruatas ab vniuersali Ecclesia semper & vbique. Primùm enim Scriptura debet esse regula traditionum. Deinde certum est & hoc, quòd quæ Apostoli tradiderunt, ab ipsorum scriptis non discrepant.

Atqui Irenæus & Tertullianus iubēt veritatem Christianæ religionis requirere apud Ecclesias Apostolicas. Objectio.

Patres experientia didicerunt Scripturam nulli satis esse ad docendū apud eos, qui intel-

lectum & veram interpretationem Scripturæ
Tert. 113. ab Apostolis non admittunt. Qui intellectus cùm integer esset adhuc,& saluus extaret apud Ecclesias illas, tutò poterant homines sui seculi ad eas Ecclesias remittere:sed quæ esset insania hodie nos ad Ecclesiam remittere Corinthiacam,Ephesinam, Philipp.cùm non extet ampliùs vsus doctrinæ & sacramentorum apud eas?

objec. Epist. 118. *Quid verò ad dictũ Augustini ad Ianuariũ, dicentis:de eo disputare,quod Ecclesia per totum orbem seruat,insolentissimæ est insaniæ?*

Hæc non possunt intelligi nisi de Catholicis,& obseruatu necessariis traditionibus, quæ congruunt cum Sacris literis. Alioqui his op-
De præscriptionibus. poni potest, & debet quod ait Tertullianus, *Veritas non ex personis, sed personæ ex veritate iudicandæ sunt.*

Manifestum enim est, oportere in Ecclesia omnia per Scripturas doceri & demonstrari.

DE LECTIONE Scripturæ.

Definitio Lectionis.

LEctio S.Scripturæ, est diligens & cum iudicio suscepta meditatio Sacr. literarum, mandata diuinitus omnibus vitæ humanæ ordinibus,

dinibus, in primis verò his, qui alios cum fructu docere volent.

Generis explicatio.

Lectionem meditatione definimus, non autem oculorum inspectione, aut emesione, quia hîc non tam referre iudicamus, vtrum ipse legas, an verò legētē audias attentè: deinde Græci ἀνάγνωσιν expediunt per ἀνάμνησιν, & ἀναγνῶναι, per ἀναμνησθῆναι. Et Hebræi locum Psalmi, & in lege eius meditabitur die ac nocte, de attenta lectione interpretantur, quæ verè est meditatio. *Psal. 1.*

Extrema Lectionis.

Ponimus illam inter duo extrema: defectus est negligentia, excessus argutiæ vel Sophisticé. In defectum peccant, qui cùm possint non incumbunt Lectioni: deinde qui legūt quidē sed lecta non curant vt intelligant, verùm edīscunt, & recitant Scripturas, vt psittacus suum χαῖρε. His alii deteriores sunt, qui non solùm negligunt, sed aliis etiam authores sunt contemnendi omnem lectionem, quales sunt, qui reuelationes iactant.

Excessu peccant, qui diligenter legunt, sed argutè nouum quærunt Scripturæ sensum cō tra mentem Spiritus sancti. Inter hæc duo extrema Lectionem reponimus, munimúsque illam diligentia contra oscitantiam, & iudicio contra strophas sophisticas.

Mandatam esse diuinitus.

Addimus quoque in definitione, etiam diui nitus esse mādatam, quod facile perspiciet qui legerit cap. 6. 11. & 17. Deut. & Christus Ioan. 5. ait, Scrutemini scripturas, & Col. 3. Apostolus scribit, Sermo Christi inhabitet in vobis copiosè, in omni sapientia, &c.

Verùm quòd omnibus vitæ humanæ ordinibus mandata sit, fortè non ita perspicuū est: nos id ex citatis locis sic probamus.

1. Lectio Scripturæ mandata est parentibus & liberis: at omnes vitæ humanæ ordines his metis includuntur: sunt enim omnes vel parē tes, vel liberi, si non vtrunque: ex quo efficitur omnibus ordinibus esse mandatam.

Deinde Christus cùm lectionem præciperet, Ioan. 5. rationem addidit, quæ hoc etiam euincit: videmini vobis vitam in his habere: quasi dicat, probo præiudicium quod ad lectionem Scripturæ adfertis, scilicet in his vitam æternam cōtineri, ex quo sic colligimus: vitæ æternæ cura ad omnes ordines pertinet: at hanc solæ monstrant Sacræ literæ: igitur harum diligens & cum iudicio suscepta meditatio omnibus ordinibus est præcepta.

3. Præterea omnium ordinum officia Sacræ literæ omniū rectissimè expediunt: vt quid requirat Deus à magistratu, quid à subditis, quæ sint partes docentium, quæ auditorum, quod sit

ſit munus parentum,quod liberorum, quid deceat coniugatos,quid virgines & cœlibes:quæ officia non aliunde meliùs diſcuntur, quàm ex Sacris literis.

4.Addimus etiam hoc,quòd ſalutis propriæ ratio omnibus debet certa & indubitata eſſe. Valde enim abſurdum eſt corpus diligenter curare, eique nō niſi optimos adhibere medicos: animæ autem curam permittere curatoribus, non ſolùm imperitis,ſed etiam prophanis interdum, quibus ne pecus quidem viliſſimum commiteres. Itaque ſic ſtatuere debemus, omnibus Lectionem hanc præceptam eſſe.

Ad miniſtros in primis ſpectare hoc mandatum.

Euincit hoc ipſa ratio. Si enim omnibus præceptum eſt,etiam auditoribus, ergo magis Præſidibus Religionis, à quibus interpretatio ſæpe petenda eſt auditori. Deinde quia officii horum eſt alios docere, conſolari, erudire, conuincere: quæ non poſſunt ſine diligenti lectione. Sed apertum eſt Apoſtoli præceptū 1.Tim. 4.qui iubet intēdere Lectioni,cùm eidem tribuat hanc etiam laudem, quòd à puero Sacras literas nouerit.

De fine Lectionis.

Quia Lectio cum iudicio ſuſcipi debet, ad finem aliquem referatur oportet. Is eſt certa vtilitas quam inde referemus. Hanc magnificè

commendat nobis Spiritus ſanctus, quòd Scriptura nos faciat τελείους. Coloſſen. 1. & ἀρτίους. 2. Timoth. cap. 3. Item ἱκανοὺς, hoc eſt, idoneos, habiles, perfectos, ſeu ad vitam æternam, ſeu vitæ huius officia, ſeu ad docendum alios.

1. Itaque hoc fine ingrediamur lectionẽ Scripturæ ſacræ. Primùm vt inde cõſequamur plenam Dei cognitionẽ. Hæc enim epiſtola Dei eſt ad genus humanum, in qua ad plenũ ſuam illi patefecit voluntatem.

Deinde hîc quærenda eſt ratio ac via ſalutis. Cùm enim in his lateat vita, vt Saluator inquit, conſequens eſt, vt in his ſolis quærenda ſit.

Tertiò, accedamus etiam hoc propoſito, nos hinc abituros meliores. Vt enim cibus non prodeſt corpori niſi in alimentũ corporis conuertatur: ſic iudicare de lectione debemus, non profuturam Scripturæ lectionem, niſi in mores conuertamus ſalubria illius præcepta. In hanc ſententiam eleganter inquit Auguſtinus de operibus monachorum, cap. 17. tum prodeſſe lectionem ſi fecerimus quod legimus: & alibi, beatiſſimus eſt, qui diuinas ſcripturas conuertit in opera. Conſentit his ipſa Scriptura quæ Rom. 2. non auditores ſed factores iuſtificandos dicit, & Chriſtus Luc. 12. de ſeruo ſciente voluntatem domini, nec faciente, &c. Et Iacob. 3. ſcienti bonum facere, nec facit, id ei pec-

ei peccatum esse. Hæc facile sit ad lectionem applicare. Magnus sanè thesaurus nobis promittitur in scripturis, si obsequamur his quæ legimus: at fletus & stridor dentium, si lectioni contraria fecerimus. Philosophandum igitur hîc nobis est non verbis, sed vita ac moribus.

4. Addamus hoc etiam, eo fine diligenter legendam, vt consequamur facultatem docendi alios verā pietatem. Illa quidem datur diuinitus, sed lectione alitur. Nam Scriptura suppeditat materiam omnium quæstionum, siue ad docendum, conuincendum, consolandum, cohortandum, instituendum, &c. Methodum autem pro industria adhibere concedit ad vtilitatem auditoris. Quam optimam afferent, qui in humanioribus disciplinis non planè rudes fuerint.

Diuisio Lectionis.

Bipartita est Lectio, alia priuata, alia publica: illa intra parietes suscipitur, & ad publicam refertur apud studiosos. Et priuata vel est vaga, vel ordinaria: vaga plus voluptatis habet: vt ait Seneca, sed ordinaria plus vtilitatis.

Publica in Scholasticam & popularem rectè dirimitur. Scholastica dicitur quæ in scholis inter studiosos regnat: popularis in coetibus totius Ecclesiæ dominatur.

Est & hæc obseruata varietas, quòd alia sit

nuda lectio Scripturæ, ſine explicatione adhibita, qualis olim in monaſteriis fuit, & ad menſam doctorum virorum. Hanc cõmendat Aug. epiſtola 109. & Hieron. alibi.

Alia habet adiunctam interpretationẽ, qualis in Eccleſia ſemper fuit in vſu. Hinc etiam lectoris officium in Eccleſia manſit, re propè amiſſa. Legebat autem is Scripturam populo, quam mox alius explicaret. Hanc commendat Iuſtinus Mart. in apolog. 2. & Tertul. in apolog. Sed ad priuatam reuertamus.

Partes Lectionis.

Duæ ſunt partes Lectionis, diligentia & iudicium, illam vocamus ἐρεύνωσιν, ex verbis Christi, Ioan. 5. hoc verò, σοφίαν, ex verbis Apoſtoli Col. 3. *Sermo Chriſti inhabitet in vobis, in omni ſapientia*, &c. Qui locus nobis partes Lectionis ſuppeditat, diligentiam, inquam, & iudicium, vt declarabitur in loco de interpretatione.

De diligentia.

1. Diligentiam munimus duobus comitibus, alacritate & conſtantia. Alacritas tædium lectionis corrigit: conſtantia verò in curſu retinet: vtrunque efficiet vt & multa & frequẽter & vtiliter legat.

De iudicio.

Iudicium in lectione admodum eſt neceſſarium: nam monſtrabit hoc aliquem delectum,

tum

tum in tempore legēdi, vt manè & veſperi certis horis legat : ne reliqua ſtudia humanitatis negligat: deinde certa ſint interualla repetendi vel quæ audiuit, vel quæ ipſe priuatim collegit.

Deinde delectum habebit in libris legēdis, quos primò, quos deinde ſit ordine lecturus: vt à facilioribus ordiatur, quales ſunt historiæ. Epiſtolas D. Pauli ſi ingrediatur, breuiores ſeligat initio, & quæ de miniſtri officio in primis diſputant, qualis vtraque ad Timotheum & illa ad Titum, quas tanquam ideam boni miſtri ſæpe repetet: ſic exemplum Apollo ex Act. cap. 18. ſæpe inſpiciet: excitabitur enim ad diligentiam, & in propoſito confirmabitur: quale eſt etiam exemplum Berrœenſium Act. 17. ſingulare diligentiæ & iudicii exemplum.

Iudicij partes.

Iudicium volo cōſtare pietate & methodo. Pietas dictabit, vt reuerenter lectionem accedat, ſynceriter ad illa verſetur, & omnia ad Domini gloriam dirigat, ſui profectum, ac proximi commodum ſic fiet, vt hæreſes caueat, nec vilia colligat, ne pro theſauro carbones ſibi cōgerat.

Methodus lucem adferet: ac facem in obſcuris accendit pietas, quam diriget methodus, ne cum aëre colluctetur.

Methodi duo officia conſtituo: diſponere,

& annotare. Dispositio est certa series & cohærentia verborum lectionis, quam ita rigidè ac superstitiosè quæret, vt sine hac nullā velit legere periodum. Annotatio autē est relatio in sua commentaria, sententiarum, & præceptionum exempla, quæ olim sibi vsui sint futura cōtinens.

Commentaria voco, quæ Græci ὑπομνήματα veteri vsu vocarunt, hodie locorum cōmunium dicuntur libri.

De locis communibus.

Tales libri, vt dixi, Græcè dicebantur ὑπομνήματα, in quibus studiosi annotarēt sibi quæuis quæ putarent aliquando sibi vsui fore. In his liberum singulis relinquo ordinem suis studiis maximè idoneum, quem sequatur & diligenter teneat.

1. Hoc saltem addo, tales libros non farciendos esse titulorum copia, in quibus non habeas quod reponas, minus etiam quod hinc vtiliter depromas: vt in domo non laudatur vacuum conclaue, sed quod habeat copiam aliquam rerum necessariarū: sic de titulis statuendum cēseo. Sunt enim cellulæ quædam, in quas comportare oportet res vsui futuras.

Deinde non solùm rerum hic constituendos titulos, sed phraseôn, in primis autem præceptorum artis, vt habeas obseruationes exordiorum, narrationum, propositionum, confirmationum, confutationum, epilogorum. Inutilia

tilia enim iudico omnia artis præcepta, quæ vſum nullum habent in lectione, & quorũ exempla nulla poſſis proferre. In hac re in primis ſeſe exercebit diligentia,& ingenium periclitabitur, quantos progreſſus in artibus iã fecerit, quò recurrendi ſemper occaſionem habebit.

Commune inſtrumentum huius exercitii ſit ἀνάλυσις, reſolutio, nec annotabit vllum titulum in locis ſuis quin illius vel vnum iam habeat exemplum, cui ſperet ſe plura mox additurum.

De annotatione.

Duo officia Methodi conſtituimus, diſpoſitionem,& annotationem. Diſpoſitio ad interpretationem pertinet, de qua poſtea, iam de annotatione pauca. Triplex illius ſit cura, rerum, verborum, ac præceptorum artis, ex quibus totidem libri locorum communium emergent.

1. Loci rerum ſunt, qui continent explicatas quæſtiones Theologicas, de præcipuis articulis fidei noſtræ, quæ quouis ſeculo in Eccleſia ſunt in controuerſiam pertractæ.

2. Verborum loci ſunt qui phraſes, ornamenta, figuras, virtutes ac vitia orationis explicant.

3. Præceptorum ſunt, artis obſeruationes & exempla, in primis Dialect.& Rhetor. Primũ genus certatim hodie excolitur ferè ab omnibus. Secundum à paucis. Tertium, vix dum re-

perit cultorem. Hoc igitur paucis illustremus, exemplum ex lectione epistolarum D. Pauli depromentes.

Loci generales præceptorum.

Pono igitur me iterum lecturum epistolas D. Pauli,& recipio me ad præscriptum definitionis nostræ ,hoc est, diligenter & cum iudicio lecturum Deinde ad locos communes artis,non rerum respecturum & in hac ipsa re cauebo superstitionem ne affectatè & sine fructu titulos,vana domicilia coaceruem. Scio enim iudicium à nobis munitum pietate, quæ dictat Spiritus sancti liberiorem esse stylum.

His sic positis,tria constituo capita locorum artis, præsertim in epistolari genere scriptionis.1.Quis.2.Cui.3.Quid scribat.

Hos locos ex præceptis habeo & video obseruari à Spiritu sancto, ideóque cõfirmor exemplo,in meo proposito.

Quis scribat.

Huc refero vitam Pauli per locos personarum explicatam. Deinde inspicio suas epistolas omnes, in quibus animaduerto duplex discrimen. Quædam enim nomen suum expressum habent,de quibus nemo sanus dubitat:aliæ nomen illius nõ exprimunt,vt illa ad Heb. ideò de hac multi sæpe dubitarunt. Est & altera varietas, quod aliæ solius Apostoli nomine scriptæ sint,vt illa ad Romanos, ad Ephesios,

ad

ad Timotheũ ambæ,ad Titum, &c. Aliæ plures authores referunt, hoc eſt non ſolius Apoſtoli nomine ſcriptæ, vt in quibus quoſdã collegas ſibi adiungit. Quales ſunt ambæ ad Corinthios,illa ad Galatas, Philippenſes, Coloſſenſes, Theſſalonicenſes ambæ,& ad Philemonem. Hæc poſtea in examine titulorũ pleniùs explicanda veniunt.

Quibus ſcribat.

Huc refero explicationem breuem earum Eccleſiarum,ad quas ſcribuntur. Deinde occurrit ex inſcriptionibus illa varietas,quòd aliàs ſcribit ad integras Eccleſias,vt ad Roman. Corinth. Galatas, Epheſios, Philippenſes, Coloſſenſes, Theſſalonicenſes: aliàs verò ad priuatos homines,vt ad Timotheum, Titum, Philemonem,&c.

Quid ſcribat.

Hic tertius locus rerum eſt,ideóque admodum copioſius: diſtinguo hunc in generales claſſes, ac refero huc occaſionem ſcripti, propoſitionem,partes,genus,&c. ex quibus omnibus hypotheſis conſtat totius ſcripti. His ita digeſtis refero me ad δευτέρας φροντίδας ſimili diligentia & iudicio, &c.

Experimentum.

Ponamus huius rei exẽplum,ex quo de reliquis ſimili modo iudicium fiat. Sit prior ad Theſſalonicenſes.

Qui fuerint Theſſalonicenſes.

Theſſalonicam alii metropolim Macedoniæ faciunt. Plin.lib.8.cap.10.& Mela lib.2.ca. 3.ſimpliciter Macedoniæ adſcribunt. Celebrẽ fuiſſe nomen ipſum arguit. Strabo lib.7. refert ſuo adhuc tempore florentem fuiſſe, cuius iſta ſunt verba, ἣ νυῦ μάλιϛα τῶν ἄλλων εὐανδρεῖ, hoc eſt, inter alias Macedoniæ vrbes ciues bonos & fortes alit. Tabulæ Græciæ elegantiſſimo loco ſitam deſcribunt, ab ortu & Septentrione Chabrim fluuium habet, qui per regionem Amphaxitum à Septentrione ad Ortum, inde in Meridiem conuerſus mari ſeſe exonerat. Ab occaſu eſt Echedorus fluuius, vnde non procul diſtat Berrœa ad radices Cytharii montis poſita, quò ſe recepit Apoſtolus ex Theſſalonica, tumultu illic orto. Act.17. à Meridie habet mare ampliſſimum, in cuius receſſu, ſinu oportuno condita fuit. Antiquitus dicta fuit Thermæ, hinc Thermaicus ſinus. Nomen illi ab euentu mutatum eſt. Nam Philippus Amyntæ filius, memorabili clade ibi Theſſalos fudit, in cuius victoriæ memoriam puto vicinam vrbem Thermen dictam Theſſalonicam. Mox Caſſander hanc ipſam vrbem muniuit & in gratiam vxoris Theſſalonices, quæ & ipſa Philippi Regis fuit filia, nouum vrbis nomen confirmauit, vt vetus planè abolitum ſit: ſinui tamen remãſit, qui apud ſcriptores, &

poſtea

postea in tabulis sinus Thermaicus dicitur. Illa est Thessalonica, in qua Theodosius Imperator, ob seditionem grauiter animaduertit in ciues, ob quod factum mox ab Ambrosio Mediolani est excommunicatus, nouo in ipsos Imperatores exemplo. Ad hanc postea infœliciter pugnauit Constantius aduersus Sarracenos. Nam cùm constituisset prælio decernere, noctu per quietem visus est sibi Thessalonicæ esse: quare spem de euentu prælii concepit, rémque ducibus proposuit: rē omnes applausu exceperunt, vno excepto, qui sic interpretatus est visum: pacem suadeo quærendam ab hostibus Imperator: nam hoc suadet viso, θὲς ἄλλῳ νίκην. Nec falsa fuit interpretatio: nam in prælio superiores fuerunt hostes.

Hodie Salonica dicitur sub misera seruitute Turcica. Aliquandiu Venetis paruit, quibus tradita fuit ab Andronico, de quo vide Laonicum lib. 3. 368.

Occasio.

Hanc sumo partim ex hac ipsa Epistola cap. 2. & 3, partim ex cap. 17. Acto. ex quibus liquet oblatam fuisse occasionem. Nam instituerat eos Apostolus fœliciter in fide Christiana: sed, vt fit, mox improbi quidam Iudæi, inuidia perciti, tumultū per vrbē concitant, ex quo periculo beneficio fratrū eripitur Apostolus noctu, & se in vicinam vrbem Berrœam confert,

quæ eſt ad radices Cytharii montis. Hinc longiùs Athenas vſque procedit, inde Timotheũ ad eos remiſit: partim vt de ſtatu illorum per ipſum redderetur certior, partim vt in fide ſuſcepta nouam confirmaret Eccleſiam. Quo
Cap. 3. reuerſo ad Apoſtolum, ſeu Athenas, vt videtur in hac Epiſtola ſignificare, ſeu Corinthum, vt quibuſdam placet, retulit ſummam piorum conſtantiam, pericula & damna, quæ Chriſti nomine alacriter ferant, adeò vt mori quoque pro hac cõfeſſione ſint parati. Hinc motus eſt Apoſtolus, vt ad eos hanc ſcriberet epiſtolam, quæ ad conſtantiam hortaretur bene currẽtes, ſimúlque vitia quædam apud eos corrigeret, & ad officium renati hominis diligenter hortaretur.

Genus epiſtolæ.

Difficilius eſt interdum iudicare de genere epiſtolarum D. Pauli: nec ſatis hæc res eſt deciſa apud interpretes, vt mihi quidem videtur. Sed ita expediet ſe ſtudioſus. In ſingulis vnum eſt quoddam prædominans: reliqua acceſſoria ſunt, & interdum plura, quæ principale illuſtrant & confirmant. Ac prædominans ex ipſo argumento ſumatur, & finali cauſa. Vt in hac epiſtola dominans genus eſt προτρεπτικόν. Ratio eſt, quia ad conſtantiam præcipuè eos incitare vult. Acceſſoria deinde plura ſunt, quæ ad ſuperius tanquam prædominans referuntur:

vt

vt ἐπαινετικὸν, quo vtitur primo & ſecundo 1.
capitibus, ipſos laudans ab anteactis: ſe verò 2. cap. ornat veri doctoris virtutibus minimè fictis. Faciunt autem ad ſuperius principale confirmandum. Creſcit enim laudata virtus, & immenſum gloria calcar habet, &c. Sic 2. Cap. 4.
accedit παραινετικὸν, quo ad officium hortatur renati hominis. Item ἐπαγγελτικὸν, quo 3.
ſuum ipſis aduentuum promittit. Ἐπανορθωτικὸν, 4. Cap. 3.
quo vitia corrigit. Διδακτικὸν, quo in- 5.
ſtruit, ac docet, quid in dubiis quæſtionibus Cap. 5.
ſequi debeant, &c. Ad hunc modum ſi de genere in omnibus epiſtolis conſtituatur, magna lux interpretationi accedet, atque id totum debemus obſeruationibus artis.

Expoſitio epiſtolæ.

Vt de genere nemo rectè conſtituet, niſi ex ipſo contextu: ſic de certa propoſitione, ac ſcopo, non aliunde conſtituendum eſt. Sepoſitis igitur omnibus commentariis ipſa legatur & relegatur epiſtola, donec ſcopum deprehendas. Nam hîc oculatum oportet eſſe lectorem, ne alienis oculis plus credat, quàm ſuo iudicio, Quæratur igitur κρινόμενον: deinde etiam τὸ αἴτιον. Hinc ſi fieri poteſt ſyllogiſmo comprehendatur. Vt in præſenti exemplo principalis quæſtio eſt, de conſtantia in ſuſcepta profeſſione. Hinc conſtitue στάσιν. Theſſalonicenſes in ſuſcepta tam fœliciter profeſſione, quàm

constantissimi esse debent. Propositionis firmamentum, hoc est, κρινόμενον affert : quia in hac diuina electio vestra patefacta est: hinc sequitur αἴτιον, hoc est, firmamenti ratio: quia in potentia Spiritus sancti est proposita, quia ἐν πληροφορίᾳ πολλῇ, quia ad exemplum Christi, & Apostolorum cum magno periculo fuit suscepta, quia aliis Ecclesiis vt exemplum præluxistis, &c.

Collige igitur in Syllogismum totam causam, ad hunc modum.

Doctrina quæ vos certos reddit de vita æterna, in hac debetis esse constantes.

Sed Euangelium quod à me didicistis vos reddit certos.

Ergo in hoc oportet esse constantes.

Minor probatur, quia habet in vobis manifesta argumenta Spiritus sancti, quia fidem firmiter cōfert, quia ad exemplum Christi & Apostolorum, & quia à veris doctoribus eam accepistis, &c.

Hactenus de propositione constituenda, quæ vt rectè etiam constituatur, multùm momenti habet.

Partes epistolæ.

Diuisio interdum nudè sequitur artis locos, interdum inseruit materiæ præsenti, vt certa habeat membra, quæ memoriæ inseruiāt. Nos hanc in præsentia diuisionem instituimus. Epi

stolam

ſtolam totam in ſex partes diſtribuimus, quæ hoc ordine cohærent.

Initio ſuo more, titulo complectitur perſonas ſcribentes, perſonam Eccleſiæ, & honorificam ſalutationem. *Titulus.*

Deinde exordium commodè aditum facit ad rei ſequentis narrationem. *2. Exordium.*

Narratio ſequitur, qua præteritas res commemorat, hoc eſt, qua fortuna admiſerint hãc doctrinam: & quanta diligentia ipſe eos docuerit. Ideò narratio bipartita inſtituitur, 1. de auditoribus, 2. de ipſo doctore. *3. Narratio.*

Denuntiatio eſt ſui aduentus, addit cauſas impedientes cur hactenus non venerit, quantóque illorum deſiderio teneatur: item de cauſis miſſi ad eos Timothei: necnon de ratione ſcriptæ epiſtolæ. *4. Promiſſio aduẽtus ſui.*

Corrigit illorum mores, vt ſcortationem, fraudem in contractibus, otium iners, facilitatem ad res innouandas, (videntur enim natura fuiſſe faciles ad ſeditiones) curioſitatẽ in quæſtionibus non neceſſariis. Contrà hortatur ad renati hominis virtutes, dilectionem, pacem, vigilantiam, &c. *5. Correctio morum.*

Epilogus demum ſequitur, comprecatione, ſalutatione, præcepto, concluſione, conſueta cõſtans, &c.

Specialis conſideratio.

Generalis præceptio ſic ſatis videbitur in-

ſtructa, ſecundùm quam accedendū ſuadeo ad omnium Epiſtolarum lectionem. Hinc δευτέραι φροντίδες ſequuntur, hoc eſt, ſingularū partium diligens & repetita lectio quam ingrederemur, niſi res longioris eſſet inſtituti.

Σύνοψις περὶ ἑρμηνείας.

Quid ſit interpretatio.

Interpretatio eſt cōgruens explicatio cum mente authoris, apta diſpoſitione ad commoditatem auditoris adhibita.

Partes interpretationis.

Eius partes duæ ſūt, Analogia & Methodus.

Analogia eſt conuenientia interpretationis cum aliis Scripturæ locis, in primis cum Fidei articulis, quos ſi euertat, aut cum aliis locis Scripturæ pugnet, vitioſa eſt. Virtus enim interpretationis eſt, conciliare Scripturam, & Fidei articulos ſtabilire.

Methodus ab induſtria docentis afferri debet. Ac optimam afferet, quia eam ex Philoſophia, in primis Dialecticis præceptionibus acquiſierit.

Hinc conſtituitur docendi genus duplex. Vnum δημῶδες dicitur, populare, nullis legibus aſtrictum, ſed liberum ac vagum. Inde λαγαρὸν dicitur, quaſi hians & languidum, quale eſt paraphraſticum, quod authoris mentem aliis proponit verbis, ſaluo eiuſdem ſenſu. Hoc ſi præſtet paucioribus verbis, ἐπιτομὴ dicitur.

Sin idẽ faciat pluribus quàm author fecit, metaphrasis erit. Si liberiùs digrediatur ad populi captum à scopo authoris, ὁμιλητικὸν dicitur. Quo genere olim plurimum usi sunt patres, Basilius, Chrysostomus, Origenes, Augustin⁹. Id hodie reuocatum est in usum docendi, sed methodico genere instructum, quod olim separatum fuit.

Methodicum in Scholis mansit, quibus debemus adhuc Methodi reliquias.

Partes methodi.

Methodica interpretatio his partibus constat ὑποθέσει, προτάσει, διαιρέσει, ἐκθέσει.

1. Hypothesis est argumentum loci propositi, perspicuis propositum verbis ex ipso contextu, nõ aliunde petitum: quod fiet illustrius, si præcedentium & consequentium continuatione constet.

2. Propositio paucis verbis totum argumentum constringit: hanc interdum locus ipse propositus exprimit, interdum ex toto cõtextu colligi ab industria debet interpretis. Si locus ipse propositionem manifestam habet, interdum solet nuda & simplex esse, interdum verò argumentis est vestita, illa ἁπλῆ dicitur, hæc verò ἐνδιάσκευος, quia habet argumentorum quoddam seminarium.

Diuisio est aptissima, quæ memoriæ auditoris & dicẽtis inseruit, deinde quæ ex ipsa ver

borum seriem petitur,non aliunde affertur:atque hæc naturalis est, ideóque propria,quia ex verborum consequentia nata est. Aliena erit & coacta si aliunde inferatur, quia verbis non respondet. Virtus diuisionis est, nihil omittere,nec redundans ponere.Ideò cauenda est superstitio in numero membrorum: aliquando bipartita,aliàs tripartita, quadripartita etiam, quandoque quinquemembris etiam adhibenda est.

Laudabilis autem est dicentis industria numerum aptè posse mutare,ne sempertrimembris sit omnis cuiusuis contextus explicatio. Si tamen numerum ternarium excedat partitio, breuior & planior debet esse commentatio, vt memoria auditoris iuuetur,&c.

Ἔκθεσις explicatio est, qua ab ouo (vt dicitur) prima diuisionis membra ordine perse-
1. quimur,apta illustratione adhibita.Huius partes sunt ecphrasis,quæ obscura reddit per aper
2. tiora. Analysis quæ inuestigat argumenta, ad rem probandam, vel seriem orationis ex cir-
3. cumstantiis illustrandam. Porisma quod obseruationes,ad doctrinam,redargutionem,con solationem,exhortationem,&c. auditoris animo suppeditat. Hanc interpretandi rationem exemplo iam illustrabimus,&c.

Exemplum rei propositæ.

Scribit D.Paulus ad Col.3. Verbum Christi inha-

sti inhabitet in vobis abundè in omni sapientia, docentes & commonefacientes vos ipsos Psalmis, & hymnis & odis spiritualibus, in gratia, canentes in corde vestro ipsi Domino,&c.

1. Hypothesis. Versatur Apostolus in declaranda vita renati hominis, quæ respondere debet professioni nostræ. Proposuit autem virtutum duplicem ordinem. Primi generis fuerũt, liberalitas, modestia, humilitas, lenitas, longanimitas. Secundi ordinis autem sunt, dilectio, pax, gratiarum actio, verbi Dei ardẽs studium, circumspectio. De posteriori ordine hic locus depromptus est, in quo specialiter cõmendat nobis ardens studium audiendi, & tractãdi verbum Dei.

2. Propositio Apostoli est. Omnibus modis curandum est, vt omnes ordines in Ecclesia Christi, quàm diligentissimè, & fructuosissimè verbum Dei semper tractent.

3. Loci propositi membri hoc ordine cohærent. Initio posita est propositio mandans diligentiam in legenda Scriptura. Deinde exprimit iudicium, quod lectioni addendum est, ne in dogmata vitiosa incidamus. Tertiò vsus huius diligentiæ indicatur, qui positus est in docendo, & commonefaciendo. Quartò loquitur de adiunctis, quibus hæc diligentia ornatur. Dicendum igitur est primùm de ipsa legẽdi diligentia, deinde de iudicio, tertiò de vsu, quar-

tò de adiunctis.

1. Diligentiam in his verbis requirit. Verbũ Christi habitet in vobis abundé. Sensus est, homini renato quàm diligentissimè versandum est in verbo Dei, hanc sententiam vestiuit Apostolus idoneis verbis, quæ diligentiam exprimunt, ac rationes suppeditant. Fiat igitur Analysis, & primùm doceatur, Quid sit λόγος Christi, deinde quid inhabitare, tertiò, quomodo id fiat abundé.

Λόγος Christi ferè accipi solet ab aliis pro dilectione, de qua dicit Christus Ioan. 13. *nouũ mandatum do vobis vt diligatis vos.* Item ibidem, in hoc cognoscent, quòd mei sitis discipuli: hinc præceptum dilectionis dicitur Christi mandatum 1. Ioan. 8. quod hîc per sermonẽ accipiunt, hic λόγος est ἐντολή. Sed hos refutare non est difficile, quia Apostolus hîc proprio loco & ordine de dilectione egit: non careret ordo, & enumeratio Pauli confusione non necessaria, si bis idem diceret minimè suo loco.

Alia igitur sententia est, λόγον Christi esse totam Euangelii doctrinam, vt sit hic sensus: λόγος Christi, hoc est, περὶ τοῦ χριστοῦ, sermo de Christo agens, qui sensus habet notationem Euangelii: nam Christus totius Euangelii quasi subiectum est, adeò vt Apostolus dicat se nihil scire, quàm vnũ Christum. Hic sensus istã habet vtilitatem, vt sciamus quæ doctrina in

Ecclesia

Ecclesia Christi regnare debeat, scilicet Euangelica, quæ nobis proponit Christi meritum, rationem salutis, regenerationem, piam conuersationem, castos mores, &c.

Tertius etiam sensus est: λόγος περὶ τοῦ χριστοῦ dici potest de oraculis propheticis, quæ regnũ, aduentum, natiuitatem, doctrinam, mortem, resurrectionem Christi explicant. Itaque hic amplissimus sensus est: sermo Christi inhabitet in vobis, hoc est, doctrina Prophetica & Apostolica, quæ de Christo loquitur summa diligentia euolui debet.

Diximus de subiecto, sequitur secundo loco prædicatum, *inhabitet in vobis*: metaphora concinna est, quæ suppeditat suaue argumentum. Vt enim domus pleno iure possidetur ab ordinario hero, adeò vt omnes ei anguli peruii sint, nihilque non tutò & liberè accedat in illa. Sic verbum Dei in nobis pleno iure regnare debet. Hinc est quòd templum Spiritus sancti dicimur, & Scriptura aliquoties templũ Dei & domum Dei pro eodem sumit.

1. Summa igitur argumenti est. Inhabitare est pleno iure gubernari & ornari. Ergo summa diligentia tractanda est Scriptura, totique nos eius imperio tanquã propria possessio subiiciendi sumus: curandum igitur ne simus prophana domus, & fortè non verbi Christi, sed alterius, &c.

Deinde notatio personæ habet vim argumenti, *in vobis*, indefinita persona ad omnes pertinet, quasi dicat, qui pietatem profitemini, qui Ecclesiæ membra esse cupitis Vis argumẽti est à natura professionis, quasi dicat, frustrà gloriamini de Christianismo nisi hoc præstetis. Ex quo illa manat doctrina, lectionem Scripturæ ad omnes ordines pertinere, & hinc quoque ad laicos, quam prohibere perniciosus est conatus. Alit enim securitatem propriæ salutis, quæ periculosè imperitis, & prophanis concreditur curatoribus. Ideò Apostolus hîc intelligatur totum cœtum alloqui, habitet in vobis non solùm doctoribus, sed auditoribus quoque, adeóque etiam laicis & omnibus aliis ordinibus, qui modò membra Ecclesiæ Christi esse volunt seriò, &c.

Tertiò vox quæ prædicato additur idẽ declarat πλȣσίως, hoc est, *copiosè habitet in vobis, vel opulenter*. Nam aduerbium πλȣσίως, à Pluto fabuloso illo diuitiarum Deo factum est, quale nos ab opibus opulenter formamus. Argumentum hinc petatur à frequentia ad monstrandam diligentiam. Quæ copiosè & opulenter facienda sunt requirunt magnam diligẽtiam.

Sed tractatio Scripturæ opulenter suscipienda est.

Ergo magna cum diligentia, &c. Ex hoc argumento promanat illa doctrina, veras opes

pes rei domesticæ esse Dei verbum, cuius iuge studium verè beat & domum, & Rempubl.&c.

2. *In omni sapientia.* Alter locus est de iudicio in lectione adhibendo. Sapientia iudicium & rectam rationem significat. Sapienter tractant scripturam, qui quod legunt curant vt intelligant, ne sine fructu legãt: deinde qui intra metas continent cogitationes, ac in hæreses prolabantur curiosa interpretatione, intra has metas sapientia sese continet, quod alibi vocat Apostolus ὀρθοτομεῖν, rectè secare verbum veritatis. Virtus est in primis necessaria doctoribus, deinde non minùs ipsis auditoribus, &c. 2. Tim. 2.

3. *Docentes & commonefacientes vos ipsos.* Tertio loco de vsu nos admonet. Lectionis vsus in primis sese prodit in his duobus membris, docendo & commonefaciendo. Doctrina διδασκαλία est cùm verus sensus Scripturæ collatis aliis locis eruitur, & auditori perspicuè proponitur: deinde cùm adhibentur definitiones rerum, diuisiones, explicationes per causas, confirmationes, &c. Νουθεσία autem est cùm ex proposito loco obseruationes vtiles eruuntur ad mores corrigendos, cauẽda vitia, amandas virtutes, cauenda pericula, vitanda scandala, &c. in his longè latéque diffundit se lectionis vsus.

Psalmis, Hymnis, & Odis spiritualibus, in

gratia canentes in corde vestro, ipsi Domino. Ornamenta adiuncta hîc persequitur. Piam & accuratam lectionem ista comitantur, Psalmi, Hymni, Odæ spirituales, quorum omnium duplex est ratio: aut enim voce decantantur, aut animo & Spiritu læto recitantur. Denique ad Domini gloriam referuntur, quæ tria hîc explicanda sunt.

Ac quod ornamenta attinet, recitat Psalmos, hymnos, & odas spirituales, quæ libenter pro iisdem accipio, vt significetur ardens canendi pias cantiones studium lectionem comitari: quanquam in his nõ sit obscurum quoque discrimen. Nã Psalmi dicuntur Græco verbo, cantiones ad organum musicum accõmodatæ inprimis ad id quod propriè ψαλτήριον dicitur à ψάλλειν, cuius origo est ex ψῶ, quod significat κρούω, pulso, hinc Psalmus cantio ad instrumentum accommodata. Hymnus autẽ carmen est laudatorium in Dei laudes compositum. Ode autem est λόγος μεμελισμένος, hoc est, oratio cantu prolata, itaque Hymnus rythmum habet, cantu carere potest. Ode autem vtrũque habet. Sic Græci distinguunt in sacris literis, tamen non seruatur hoc discrimen. Nã Psallere dicimur etiam mente & spiritu, vt 1. Cor. 13. & Eph. 5. psallentes in cordibus vestris, quod inde factum est, quia vox hæc respondet Hebraico *tehilim*, quod laudes significat: itaque lata est significatio Psalmi. Significat enim & animi

animi gratiarum actionem. Deinde voce prolatum & modulatum carmen, & interdum accommodatum ad harmoniam organi. Ode autem & Hymnus in eo differunt, quod Hymnus semper sit sacer, Ode autem possit esse prophana. Ideò Apostolus hîc differentiam addidit, odis spiritualibus. Eadem habemus ad Ephes.5. loco iam citato.

Locus est de vsu Ecclesiastici cantus, qui suam habet vtilitatẽ, si iudicio gubernetur, vt hîc requirit Apostolus, hoc est, vt cum fructu fiat, in lingua nota, nõ peregrina, vt est 1. Cor. 13. &c. de quo alibi.

Porrò cantus Ecclesiastici duo hîc membra obseruanda sunt. Prius est modum seruare, posterius animi affectum addere pium.

1. Admodum refero quod dicit ἐν χάριτι, in gratia, hoc est, vt sit gratiosus auditoribus, ne sit molestus vel prolixitate, vel dissonantia, vel boatu, alióve indecoro strepitu vel gestu. Alii interpretantur in gratia, hoc est, vt sit gratiarũ actio coniuncta, sed χάριτι, hîc non materiam, sed formam potius exprimit. Alterum igitur membrum est, cordis pium affectum coniungere, ne videlicet sit cantus noster ad carnales affectus attemperatus, vel ore pia canamus animo ad impia & πάρεργα discurrente. Cauendum est igitur pro animi affectu, quod hic & ad Eph.5. in corde dicitur Psallere, & 1. Cor.

14.mente & ſpiritu pſallere. Cæterùm finis cantionum debet eſſe gloria nominis diuini, quod hîc admonuit commate iſto *ipſi Domino*. Idem dixit Ephe. 5. & hîc cap. mox ſequenti verſu. Omnia in nomine Domini facite, gratias agentes Deo, &c.

ALIVD EXEMPLVM RE-ſolutionis ex priore ad Theſſ. cap. 4.

A Verſu 13. ad finem vſque cap. locus eſt de luctu pro mortuis. Scopus Apoſtoli eſt moderatè lugendos mortuos, ad ſpei noſtræ de vita æterna cõfirmationem. Partes duæ ſunt, Propoſitio & Confirmatio. Propoſitio in verbis Apoſtoli eſt (Ne lugeatis) quod accipio de exceſſu, vt ſit ſenſus, pio homini dolori in luctu defunctorum non eſſe nimium indulgendum.

Declaratur propoſitio à contrariis. Nã hîc duo extrema ſunt vitia. Defectus eſt non lugere, vt ſunt affecti qui olim ἀπάθειαν defendebant, & Stoicam ἀοργίαν, vt Diogenes. In exceſſu peccant, qui nimium dolori indulgent ſuóſque more Ethnico lugent, vt Alexander Hephæſtionis mortem. Hic mos barbarus irrepſerat apud Iudæos, vt videre eſt Matth. 9. Vnde in Eccleſia Chriſti nonnulli eundẽ morem ſuos lugendi retinuerant, vt adhiberent præficas, hoc eſt, matronas, quæ lachrymas fingere

Ælian. lib. 7. c. 8, &c. hiſtoriæ.

fingere possent, carmē lugubre, quod ialemon Græci vocant, tibicines qui apio coronati funus ornarent, &c. has nugas hîc damnat, medium autem concedit, hoc est, ad morem sanctorum sua deflere funera. Vt Abraham deflet Saram, Gen. 23 Populus mortem Mosis, Deut. 33. Ioseph funus lugubre instituit parēti Iacob, Gen. vltimo. Et Christus deflet interitum vrbis. Ergo hominis interitum deflere est honestum.

Denique Scriptura refert inter pœnas non sepeliri, sed instar asini abiici nō defletum, moderatus igitur luctus honestus est, & c. Sed locus Apostoli contra excessum solùm spectat, ideò hîc colligantur rationes ad Apostoli instituτum.

Propositio est, non sunt nimium deflendi mortui. Ratio est ex contextu. *Confirmatio.*

Primò, quia nimium lugere mortuos argumentum est: ignorabant igitur, & hanc ignorantiam corrigit Apostolus. Nocens est ignorantia dubitare de mortuorum salute, de carnis resurrectione quod fit in nimio luctu.

Deinde quia Scriptura de mortuis loquens. vocat non mortuos, sed dormientes, ergo nimium lugendi nō sunt, quia saltem dormiunt, & dormire de corporibus, non animabus intelligatur, &c.

Tertiò, ab exēplo dissimili: vt reliqui, quasi dicat, Ethnici sic lugent suos, ergo vos

non ita,&c.

4. Qui ſpem non habent, ſic lugent, quaſi dicat, deſperabundi hominis eſt ſic lugere, quaſi actum ſit de tota hominis ſalute: ergo cauendum. Non habebant autē ſpem de ſalute corporis, & reſurrectione, quia in morte omnia finiri æſtimabant.

5. Exemplo Chriſti, quem non dubitatis à mortuis reſurrexiſſe. Idē igitur ſentiamus de noſtris defunctis. Hinc Chriſtus dicitur primo genitus ex mortuis Coloſſ. 1. quia ad illius vt capitis exemplum, nos etiam vt membra ſumus reſurrecturi.

6. A modo reſurrectionis, in quo prima iudicis cura ſpectabit ad defunctos, præuenient enim nos, igitur vobis ſunt fœliciores, & perfectioni eo gradu propiores, quia illi primum excitabuntur, dehinc demū nos immutabimur. Id quod Apoſtolus copioſè & magnificè oſtendit, verſ. 16. 17, &c.

LOCORVM COMMVnium ratio.

Quæ hîc ſeruanda eſt partitio?

Quæcunque vtilis & idonea eſt, qualis illa haberi poteſt. Loci alii controuerſi ſunt: alii ſunt extra controuerſiā. Et controuerſi nobis alii cum Anabaptiſtis: alii cū Papiſtis: alii cum domeſticis & aliis ſectis: alii denique cum externis,

ternis, qui in Christi Ecclesiam in terris non sunt incorporati, quales Philosophi, Gentiles apud veteres, Iudæi & Turci etiam hodie.

Quot igitur classes locorum communium nunc instituis?

Quinque.

Prima est classis locorum communium, qui nobis cum Anabaptistis sunt in controuersia.

Secunda classis habet locos qui cum Papistis nobis sunt controuersi.

Tertia est locorum aliarum sectarum nostri temporis.

Quarta locos habet contra externos, & eos qui alieni, nec domestici sunt fidei, quales sunt Philosophi, Gentiles, Iudæi, & Turcæ.

Quinta eos locos complectitur, qui extra controuersiam positi sunt.

Ex prima classe loci aliquot contra Anabaptistas.

DE LIBERTATE CHRIstiana.

Cur hic primus est locus.

QVia Catabaptistæ ab hoc exorsi sunt, & eius malo intellectu omnia initio repleuerunt seditionib. Putabant enim eã extendi ad res externas, ad dominia & iura publica

tollenda, quæ mens neque Christi neque Apostolorum fuit.

Quid est libertas Christiana?

Est facultas agendi & viuendi iure renati & liberati hominis merito Christi. Ex quo sequitur eam pertinere ad bonū finem, & esse rerum spiritualiū. Est enim in homine duplex gubernatio. Spiritualis quæ ad omnes in genere pertinet. Violenta autem est in improbis.

Quæ sunt species libertatis Christianæ?

Mors c̄ victa p christum. Os. 13.

Quatuor, quarum est prima liberatio à morte æterna, & iure Diaboli idque duplici modo. Primùm enim eramus Diaboli mancipia possessione. Deinde etiam gubernatione. Hæc seruitus aduentu Christi sublata est, vt iam Dei liberti simus & eius Spiritu gubernemur. Huc pertinet locus Ioan. 8. 36. Si filius vos liberauit, verè liberi eritis. Vera autem libertas animæ & spiritus est, non corporis.

a. Et liberi sumus ... non ... tamen ... Non immediate appli...

Liberatio à Lege & eius dominio: nam Lex non seruata nos compellat ad pœnas. Christus igitur implendo eam pœnas sustulit. Quò pertinet locus ad Gal. 3. 13. Christus pro nobis factus est execratio, vt nos ab execratione Legis redimeret.

Rom. 8.

Pertinétne hæc liberatio ad totam legem?

Ad totam. Nam de ceremoniis & forēsibus nulla est controuersia, cùm Apostolus dicat ad Gal. 5. 6. In Christo Iesu, nec circuncisio quidquam

quam valet,nec præputium,sed fides per dilectionem operans. Et ibidē ver.2. Si circuncidamini,Christus nihil vobis proderit. De moralibus verò legibus dubitatio est. Sed & istæ suo modo sunt sublatæ, quod scil. ad maledictionem attinet:nam & hæ nos damnabant,& ab ea maledictione & damnatione per Christū liberati sumus. Quò refero dictū Apostoli Gal.5.1.in libertate, qua Christus vos liberauit,state,ne rursus iugo seruitutis implicemini

Quæ est tertia species?

Liberatio à peccato, quò referimus omnes affectus & desideria carnis, vt nō solùm illa in nobis non regnent: sed quæ Deus in nobis requirit, sponte & sine metu pœnarum præstemus, Dei & pietatis amore. Huc pertinet locus Rom.6.12.Ne regnet peccatum in mortali corpore vestro, vt obediatis illi per cupiditates, nec accommodetis membra vestra, arma iniustitiæ peccato: sed accommodetis vos ipsos Deo,&c.

Quæ est quarta species?

Est posita in ritibus & rebus externis, quæ possunt sine vitio seruari & omitti. Nam opinio necessitatis, vbi necessitas non est, seruos nos facit,quod libertati Christianæ repugnat. Matth.15.9.Frustrà me colunt mandatis hominum.Rom.14.v.14.Nihil est commune,nisi ei qui existimat esse aliquid cōmune. Et Eze.20.

18.expressiùs ait, in præceptis meis ambulate, & non in præceptis Patrum vestrorum.

Quid de externa libertate?

Politica illa est, nec ad superiora pertinet. Nam Euãgelium Respublicas non tollit, imò confirmat. Vnde ad Roman.13.1. Omnis anima potestatibus subiecta sit. Et 1.Timoth.6.1. dominis præscribuntur præcepta: & vicissim seruis, quales deceat esse erga dominos. Quæ locum non haberent, si libertas promiscuè ad externa pertineret. Præterea impium est omnes promiscuè ad libertatẽ vocare, cùm quidam sint serui natura, qui nec liberi esse possint, nec velint. Est & ipsa mundi gubernatio sic instituta, vt alia præesse, alia parere velint. Homo ipse dominio rationis subiectus est, & seruum habet corpus, & peccatũ hominis hoc meretur, vt seruitute aliqua quandóque prematur, vt discat agnoscere suos errores.

Quid autem de malis Principibus & impijs Magistratibus?

Non facit ad hanc causam, boni sint, siue mali, cùm etiam malis iubeant Sacræ literæ parere, & inobedientiam peccatum vocet, cùm ait Rom.13.2. Quisquis resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Hoc tamen tenendum est, obedientiam hanc pertinere ad externa sic, ne quid contra Deum, bonos mores, & ipsam naturam præcipiant: nam tum Deo plus

debemus

debemus,quàm hominibus. Quare sic concludimus.

1. Libertas Christiana extēdi debet ita,vt id ferunt Sacræ literæ. Sed eam extendi ad politicam libertatem non ferunt Sacræ literæ: Ergo ad eam extendi & trahi non debet.

2. Liberatio per Christū parta non est carnalis & externa, quemadmodum nec regnum eius de hoc mundo: Ergo non est quærēda hîc Politica & externa libertas.

3. Inutilis est ad salutem, nocens autem rebus humanis illa doctrina: Ergo à Christianis alienum esse debet hoc dogma. Inutilis,quia etiam serui & non liberi in Christo habent locum,imò firmiores promissiones, siquidem fideles permanserint. Nocens autem,quia Respublicas, in quibus Ecclesia hospitium quærit & necessariò latitat, perturbat, & pios multis persecutionibus, etiam non necessariis, vnà cū malis implicat: quod experientia didicere multi ab anno 1521.

SECVNDVS LOCVS DE Baptismo.

Quid est baptismus?

Est Sacramētum à Christo institutum, quo in Ecclesiæ consortium suscipimur: vt Christo insiti filii Dei efficiamur. Quò pertinet locus Eph. 5. 26. vbi ait Ecclesiam à Christo sanctifi-

catam & mundatam lauacro aquæ in verbo.

Quis est vsus Baptismi?

1. Præcipuè triplex est. Primùm est Symbolum, quòd deleta nobis sint peccata ita vt non ampliùs nobis imputentur: siquidem manserimus in fide.

Secundò ostendit nobis mortificationem. Nam immersio in aqua docet nos cũ Christo mortificandos. Emersio verò nouam in Christo vitam significat, ita vt mundi studiis valedicamus, ac nouam, Deóque gratã ingrediamur vitam.

Tertiò Christo nos vnit, ita vt bonorũ eius omnium reddamur participes.

Infantes verò cur sint baptizandi?

Quia bona illa, quæ per symbolum hoc declarantur ad infantes pertinent, vt est vita æterna, remissio peccatorum. Nõ igitur signum tantorum bonorum illis negari debet. Tribuũtur autem illis ab ipso Christo, Matt. 19.14. Sinite pueros venire ad me: talium enim est regnum cœlorum. Et cap. 18.3. apud eundem, Nisi conuersi fueritis, & efficiamini sicut pueri, non ingrediemini in regnum cœlorũ. Cùm igitur maiora, & quæ potiora sunt, illis sine controuersia tribuantur, minora illis non debemus negare: præsertim cùm maiora illa per ista minora obsignentur & confirmentur.

Secundò baptizandi sunt, quia præceptum

Baptismi

Baptismi est vniuersale, pertinens ad omnes electos. Et cùm in infantiũ turba plurimi sint electi, meritò illis tribuitur. Quod autem sit vniuersale, habemus Matth. 28. 19. Euntes docete omnes Gentes, baptizantes eos in nomine Patris, Filii & Spiritus sancti. Et Marci 16. 15. Prædicate Euangelium omni creaturæ: Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit.

Tertiò, quia Ecclesia Christi hoc ita semper seruauit, de quo vide Augustinum contra Donatistas, Cyprianum, & Origenem in 6. c. ad Rom. vbi expressè etiam testatur esse hanc traditionem Apostolicam Ecclesiæ relictam, vt infantes baptizentur, & ipsos Apostolos eo sic fuisse vsos.

Argumenta Catabaptistarum.

PRIMVM ARGVMENTVM.

Marci 16. 16. scribitur, Qui crediderit & baptizatus fuerit: Sic Matth. 18. 19.

Debet ergo fides præcedere.

Respondeo. Obseruandus est scopus Christi illic, & ad eũ accommodandus totus locus. Primùm mittit discipulos ad docendum: misit ergo ad adultos, cùm infantes doctrinæ non sint capaces. Rectè autem adulti trãsituri ad Christianismum, priùs fidem confiteri debent, deinde baptizari.

Deinde non agitur illic, qui baptizari debeāt nécne: ſed qui ſaluandi ſint, aut condemnandi. Saluandos (inquit) credentes, & baptizatos, non ſaluandos qui non crediderint. Non igitur ad infantes locus ille arcendos à Baptiſmo rectè trahitur, cùm non mens ſit illic deſcribere perſonas baptizandas.

SECVNDVM ARGVmentum.

Nullum extat præceptum,

Ergo baptizandi non ſunt.

Reſpond. Simili ratione colligere licebit ſolis viris etiam dandam eſſe Cœnam Domini, quum de mulieribus expreſſum totidē verbis non extet præceptum, & diſcipuli ſoli interfuerint vltimæ Cœnæ. Verùm quum circūciſioni ſucceſſerit baptizandi mandatum, res ipſa declarat quid Dominus præcipiat. Qui adulti ad populum Dei accedebant, poſt fidei confeſſionem circuncidebātur. Qui verò in eo populo naſcebātur infantes, itidē circuncidebantur. Sic in Eccleſia Chriſti qui adulti accedūt, adulti baptizātur poſt doctrinam fidei: ſed nati in Eccleſia, etiā infantes baptizandi ſunt, alioquin Dominus expreſſo mandato hoc etiā correxiſſet. Quare tantùm abeſt vt valeat illud vt in cōtrariū magis pro cauſa infantū faciat hoc modo: Si Dominus noluiſſet infātes baptizari,

manifesto mandato hoc prohibuisset : sed hoc non fecit: reliquit ergo regulam communem, quã in circuncisione seruauerat prior populus.

TERTIVM ARGV-mentum.

Atqui non leguntur Apostoli infantes baptizasse.

Respond. Non valet consequentia. Non legimus Apostolos baptizasse infantes: Ergo nõ baptizarunt, nisi prius maiorem hanc probẽt. Quicquid scriptum non est, id etiam factũ non esse: sed id probari nec potest nec debet, cùm apertè falsum sit, & absurdum. Nã quod Ioan. 21.25. scribit de Christo, quod multa alia sint, quæ fecerit Iesus quæ scripta non sint: nam si scriberentur, inquit, per singula, nec ipse opinor mundus caperet eos, qui scriberentur, libros. Idem etiam de Apostolorum factis & dictis verum est. Scripta sunt præcipua quædam ex tota historia vitæ. De reliquis iudicium fieri debet Sacris literis conforme. Leguntur baptizasse totas familias. Ergo credibile est in iisdẽ infantes, qui sint baptizati.

QVARTVM ARGV-mentum.

Nondum sunt capaces fidei & regenerationis: Ergo, &c.

De fide priùs respondeamus. Illius quidẽ capaces non sunt, cùm de illa loquimur vt externa professione quæ iudicium rationis,& vocalem linguæ sonum requirit. Capaces tamen eiusdem sunt, spe bona futuræ educationis. Sed ne sic quidem sequitur: actu nondum testantur fidem: ergo Baptismus illis negandus est. Alioquin quid impediret ita etiam colligere? Actu nondum testantur sese fore fideles: ergo in Ecclesia retinendi non sunt. Retinentur autem bona spe: detur ergo eadem bona spe Baptismus. Cæterùm de Regeneratione simpliciter falsa est propositio, quòd nimirum eius capaces non sint. Quomodo enim capaces eius non essent, sine qua salus ipsis non contingat? Aut quæ esset dementia dicere infantes sine regeneratione saluos fieri, aut nullos saluos fieri? Vtrumque sanè non solùm stolidum, sed etiam impium est dicere & affirmare. Quare infantes, qui saluantur etiam regenerantur, iuxta dictum Christi Ioann. 3. 3. Nisi quis ex aqua & Spiritu natus fuerit, non potest introire in regnum Dei. Sic ergo colligatur. Qui capaces sunt regenerationis, illi etiam capaces sunt Baptismi: Sed infantes sunt capaces regenerationis. Ergo illi etiam sunt capaces Baptismi.

TER-

TERTIVS LOCVS De Iureiurando.

Quid est iusiurandum?

Est veritatis cõfirmatio in cõtrouersiis, Dei legitimè adhibito testimonio. Definitio sumpta est partim ex cap. 6.16. ad Hebr. partim ex 3. Præcepto, Non assumes nomẽ Domini Dei tui in vanum. Continet autem causas præcipuas iuramanti. Finis est βεβαίωσις, τῆς ἀληθείας. Materia est ἀντιλογία, hoc est, vbi homines de fide dubitant: quæ dubitatio necessariò nobis est diluenda. Effectus est πέρας εἰς πάσης ἀντιλογίας, terminat enim omnem controuersiã inter homines interpositum iuramentum. Atque hactenus ex epistola ad Hebræos collectæ partes.

Ad formam reliqua pertinẽt, quòd Dei vindicis testimonium intercedere debeat, ídque legitimé. Docet hoc præceptum 3. nam dum vanè prohibetur assumi nomen Domini iubet id legitimè, hoc est, vt ille vult & præcipit, adhibere.

Vnde ostendes id licitum esse?

Potest id multis ostendi modis.

Primùm à fine: quia Apostolus ad Hebræos ait finem esse omnium controuersiarum, & adhiberi ad confirmandam veritatem, quæ per se honesta & bona sunt.

Deinde, Deus eius eſt author. Deut. 6.13. Dominum Deum tuum metues & ei ſeruies, & in nomine eius iurabis.

Tertiò, Dei cultus eſt in eo: nam cùm homines per maiorem iurant, agnoſcunt eum cordium inſpectorem & periuriorum vindicem, quo Deus colitur.

Quartò, Deus etiam eo vt re honeſta vtitur, vt Gen. 22.16. ad Abrahamum inquit, Per meipſum iuraui.

Quintò, Christus formula iurandi ſæpe vtitur, cùm ait, Amen amen dico vobis.

Sextò, Paulus apertè iurat, 2. Cor. 1.23. Ego verò teſtem Deum inuoco contra animam meam, quòd parcens vobis nondum venerim Corinthum 1. Corinth. 15.31. aperta eſt etiam iurãtis formula, νὴ τὴν ἡμετέραν καύχησιν. id eſt, per gloriationem noſtram.

Septimò, præcipitur etiam vt extremum remedium in certo caſu, Exod. 22.8. In depoſito ſi furto fuerit ablatum, aut pecus morte perierit, iurare debet depoſitarius non ſuo vitio hoc eſſe factum, ac ita liber erit à reſtitutione.

Octauò, eſt etiam renati populi hæc nota in Prophetis, vt Eſa. 65.15. Et iurans in terra iurabit *Belohe amen* in Deo vero. Et Ierem. 42. & 12.16. Et erit, ſi docuerint vias populi mei, & iurent in nomine meo, Viuit Dominus, quemadmodum docuerunt populum meum iurare in Baal:

in Baal: ædificabuntur in medio populi mei.

ARGVMENTA.

Quid dices ad locum Matth. 5. 34. vbi Dominus, inquit, Non omnino iurabitis, sed sit sermo vester, Est, est: non, non.

Respond. in eo loco Christum interpretari legem, & abusus corrigere: non autem tollere iam latas leges. Lex autem erat de iureiurãdo, & eius formula populo Dei tradita. Quare nõ est censendum quòd Christus eam tollat. Deinde non debemus Christum cum Deo Patre cõmittere, cùm vna & eadem sit nõ solùm doctrina, sed etiam voluntas. Afferenda est igitur sententia ad illa verba, quæ Patris doctrinã & Christi interpretationem ac emendationẽ conciliet. Iam cùm Deus Pater præceperit iusiurandũ, eóque sit vsus, sanctique Patres & Prophetæ, Christus hoc non tollit in sua doctrina. Si non tollit iusiurandum apud Mat. 5. sublata est controuersia. Ac quærendum, quid Dominus ibi corrigat, nimirum temerariã quotidiani sermonis leuitatem: non agit illic de ordinario & legitimo iureiurãdo. Quòd verò vrgent, Ne iuretis omnino: Vniuersalis illa per sequẽtẽ enumerationẽ explicatur & restringitur. Neque per cœlũ, neque per terram, neque per Hierosolymam, nec per caput tuum. Tales igitur formulas iurandi prohibet, quæ per res alias

fiebant. In his enim Iudæi se non peccare existimabant in præceptum Domini, cùm nomē Dei non assumeretur. Quò facit quod sequitur: Sit sermo vester, Est, est. Dicitur hic noster sermo, quo sponte vtimur quotidie, non quem à nobis postulat sub bona fide Magistratus.

SECVNDVM ARGVmentum.

Iacobi 5.12. Ante omnia autem fratres mei, nolite iurare, neque per cælum, neque per terram, neque aliud quoduis iuramentum: sit autem vestrum, Est, est: non, non, ne in hypocrisin incidatis.

Respond. Eadē est sententia discipuli, quæ superiùs fuit Magistri. Nam easdem species enumerat & prohibet. Hoc autem ostēdit quales oporteat esse homines Christianos, nimirū ita synceros, vt ipsorum vitio nemo habeat necessum vltra simplicem affirmationem & negationem ampliorem sermonis confirmationē requirere, quēadmodum est opus cùm agitur cum hypocritis, qui faciles sunt in promittendo, non autem in præstando.

TERTIVM ARGVmentum.

Futura non sunt in nostra potestate: Ergo in futurum nostram voluntatem iureiurando non debemus affirmare.

Falsa

Falſa eſt conſequentia. Nam ſi hæc firma eſſet ratio, de futuris nullæ poſſent fieri ſtipulationes. At qui matrimonia contrahunt, fidem dant in futurum. In emendo & vendẽdo etiam promiſſa fiunt in futurum. Sic in omnibus contractibus & permutationibus. Imò ipſi Catabaptiſtæ cùm adultos ſuſcipiunt in Baptiſmo, fidem dare debent de conſtantia in futurum. Quomodo ergo non ſit leue & ſatis ieiunum, iuramentum ob id tollere, quia futuri euentus non ſint poſiti in noſtra poteſtate?

QVARTVS LOCVS DE Magiſtratu.

Quid eſt Magiſtratus?

Eſt cuſtos publicæ pacis & religionis à Deo inſtitutus ad vindictam malorum & defenſionem bonorum. Ex hac definitione colligitur, quòd Deus ſit author huius ordinis: deinde ad res honeſtas adhibeatur, ſcilicet ad pacis cuſtodiam & religionis. Sic Ariſtoteles dixit, Ἀρχὴ φύλαξ ἐστὶ νόμου.

Vnde oſtendes rem eſſe licitam Chriſtianis?

Poteſt id oſtendi variis rationibus.

Primùm, natura ipſa dictat ordinẽ hunc eſſe neceſſariũ Chriſtianis. Nam à natura ſic quidã conditi ſunt, vt nec ſibi nec rebus ſuis poſſint conſulere. Hi certè natura iubente debent ſub alterius eſſe imperio.

Deinde mundi conſtitutio oſtendit gradus eſſe imperantium & ſeruientium. Nam hic inferior mundus à ſuperiori regitur.

Tertiò, Sacræ literæ veteris Teſtamẽti hũc ordinem approbant, Exod.22.28. Deut.16.18. & Pſal.81.1. dii appellantur, quia nimirum Dei ſunt vicarii in terris. Gen. 9. 5. Lex datur vt qui effuderit ſanguinem hominis, per hominem effundatur ſanguis illius, vbi perſona ordinatur imperans & puniens homicidia. Ieremiæ 29.7. Iubetur Iudæi pro pace imperii Babylonis orare, quia in pace illius etiam ipſi ſint habituri pacem. Accedunt honeſtiſſima piorum exempla, qui & Deo placuerunt, & in Magiſtratu fuerunt, vt eſt Moſes, Ioſua, Dauid aliíque innumerabiles. Ioſeph etiam in AEgypto externum adminiſtrauit regnum, ídque laudabiliter. Porrò ne putemus veteris populi hanc fuiſſe licentiam, in nouo Teſtamento habemus eiuſdem ordinis approbationem, 1. Timoth.2.1. iubet orare pro Regibus. & Rom.12. 1. Omnis anima poteſtatibus ſubdita ſit. Non enim eſt poteſtas niſi à Deo. Item, Quiſquis poteſtati reſiſtit, ordinationi Dei reſiſtit, &c. Et 1.Pet.2.13. approbatur, aliiſque locis compluribus. D. Petrus inter reliqua ait, 1.Pet.2. 18. vt ſubditi ſint ſerui non ſolùm bonis, ſed etiam malis dominis. Luc.3.14. Ioãnes Baptiſta milites non iubet ſtationem ſuam deſerere. Et Act.8.37. Eunuchus Chriſtianus fit, manens in

officio. Itaque res à Deo comprobata est, & necessaria Christianismo in hoc mundo.

Quæ sint officia pij Magistratus?

1. Ex definitione hæc possunt colligi. Primū, conseruare religionē: est enim eius custos. Quare cura primæ Tabulæ cōseruandæ præcipuè ad illum pertinet. Hinc Regi commendabatur liber Legis.

Secundò, Conseruatio bonorum morum & publicæ honestatis: quæ custodia est secundæ Tabulæ. Huc pertinet quicquid de bonis moribus & ciuilibus legibus constituerunt Philosophi.

Tertiò, tueri bonos & innocentes: hoc est, vt eorum fortunæ saluæ sint: Quò pertinet orphanorum, viduarum, peregrinorum tutela, & inprimis Ecclesiæ Christi in his terris oberrantis hospitium, cui mansionem & patrocinium Magistratus debent.

Quartò, malos cohibere etiam vi corporali. Quò pertinet pœnarum omne genus, ius belli, quo sumptis armis honestis causis defenditur patria.

ARGVMENTA QVIBVS CONuellitur hic ordo à Catabaptistis.

Primò, Luc. 22. 25. ait Christus, Reges Gentium dominantur illis: vos verò non sic: Ergo dominari ad gentes pertinet, non ad Christianos.

Respond. Ineptè hic locus accommodatur ad magistratum, quia illic est quæstio de primatu, quam ambitionem taxat Christus: q.d. illos non esse vocatos ad dominandū: sed ad docendum Euangelium.

Secundò, Mat. 5. 39. Ne resistatis malo: sed Magistratus cogitur malis resistere: Ergo piis non licet esse in magistratu, ne cogantur malis resistere.

Respond. Malum hîc est iniuriarū, quod nō debemus auidi vindictæ statū persequi. Aliud autem est malū cui resistit magistratus: quare distinguatur malum, & ratio iniuriarum. Priuatas ferre debemus quoad fieri potest: Publicas vlciscitur Magistratus Deo iubēte. Malum verò morū hîc intelligi debet. Quæ enim esset absurditas? Malo ne resistatis. Furtū, scortatio, idololatria est malū: ergo his & similibus ne resistatis. Intelligatur ergo malum in suo genere.

Tertiò, Magistratus multa facit iniustè, & per libidinem: sed illa displicent Deo: Ergo Magistratus displicet Deo.

Respond. Malè colligit argumentum à secundùm quid ad simpliciter. Sed ita rectè sequitur. Multa facit per vim & iniustè: Ergo multa in Magistratu displicent Deo. Deinde distingui debet inter personam Magistratus & vitia, quæ illi adhærere possunt.

Quartò,

Quartò, pij vltro faciunt, qui ad iustitiam pertinent, & spiritu Dei ducuntur: Quare nō opus habent externa gubernatione.

Respond. Antecedens opus habet distinctione. nam faciunt quidem, sed imperfectè: & cùm ducuntur Spiritu Dei, non repugnat quò minùs interim Magistratui subsint, cùm & hæc pars sit Spiritus Dei. Consequens inde falsum colligitur. Nam fingunt perfectam quandam ideam Ecclesiæ, quæ in his terris sperari omnino non potest, nec debet.

Leuiora sunt reliqua argumenta, vt cùm dicũt, Iusto legẽ nō esse positam. Itẽ quod Apostolus Rom. 12. 19. citat ex Deut. 32. 35. Mihi vindicta, & ego retribuã, inquit Dominus, quasi tolleretur Magistratus persona.

R. Nam lex iusto homini non posita est, etsi sub Magistratu viuat: nam sponte facit quæ legis sunt: & vindicta Domini est, quam etiam per ordinarium Magistratum exequitur.

LOCVS QVINTVS, DE vsu & iure belli.

Quid appellas bellum?

Legitimam defensionẽ, qua ordinarius Magistratus iustis de causis sumptis armis, publicè iniurias illatas propulsat, aut res repetit.

1. Ex ea definitione constat: primò oportere iustas belli esse causas.

Deinde tantùm pertinere ad ordinariũ Magistratum.

Tertiò non mouendum, sed potius propulsandum. Itaque optabile erat cautiores esse homines in cõcitandis bellis non necessariis: cùm nullum sit tam iustum quin multa secum trahat impia.

Licétne homini Christiano bellum gerere?

Licet, quemadmodum veteri etiam licuit populo.

Primùm Deus per Mosem formã belli gerendi præscripsit, Deut. 20. 1. Certum autẽ est non præscripturum formã rei bellicæ, nisi voluisset suis belli vsum concedere.

Deinde pii bella gessisse leguntur, vt Abrahamus, qui Lothũ liberat, & Chaldæos prælio fundit. Gen 14. 28.

Tertiò, Ioannes Baptista apud Lucã 3. 14. milites iubet, ne quem concuterent, sed contẽti essent suis stipendiis.

4. Rom. 13. 4. Magistratus dicitur nõ frustra gerere gladium, sed minister esse in bonum, & vltor ad iram: quæ apertè cõcedunt ius gladii, non solùm contra priuata crimina, quæ ciuilibus pœnis afficiuntur: sed etiam contra publica, quæ armis propulsantur.

Quintò, Act. 10. 1. Cornelius Centurio Italicæ militiæ commendatur ob fidem, & baptizatus non deserit militiam: quod certè Apostoli non tulissent, si res esset piis prohibita.

Sextò,

Sextò, apud Matth. 8.10. alius est Centurio, cuius fides mirificè laudatur à Christo, dicente se ne in Israele quidem tantam fidem inuenisse.

Vltimò, certum est officii Magistratus esse partem tueri innocentes, orphanos, viduas, oppressos, quod interdum sine armis fieri non potest. Itaque si res ita ferat, pius Magistratus ad hoc quasi vltimum remedium potest confugere.

Responde ergo ad argumenta quibus ius & vsus belli tollitur.

Primò, obiiciunt iniurias homini Christiano non licere persequi, & vindictam esse omnino prohibitam, ex loco Matth. 5. 35. Ne resistatis malo.

Respõdeatur falsum esse complexum, quòd vltio omnis sit prohibita. Nam priuatæ solùm prohibitæ sunt, & Christiano, quoad fieri potest ferendæ. Quod verò ad locum Matt. attinet, distinguatur malum, ne in absurda incurramus: quæ vidimus in loco de Magistratu. Itaque aliud est malum morũ, aliud pœnarum, & aliud iniuriarum: & id vel priuatum vel publicum. Malum iniuriæ priuatæ prohibet Dominus, ne ei resistamus, sed patienter iniurias feramus.

Secũdò, Diligendi sunt inimici: Ergo nõ bello

persequendi.

Respondeo, diligendi sunt, sed non contra Deum : nam illius dilectio primum habet locum, & ex hac formanda est dilectio erga proximum. Cùm igitur amor Dei postulat vt persequamur inimicum, proximi dilectio id non prohibebit. Deinde non sunt pugnantia hostes bello propulsare, & inimicum diligere: imò in eo ipso diliguntur hostes, cùm ab iniuria arcentur. Prohibentur enim sic, ne maioribus vitiis sese onerent.

Tertiò, Matt. 26. 52. Qui gladiũ sumpserit, gladio peribit: ergo gladij vsus est prohibitus.

Respond. Christus ait, Qui gladium sumpserit, quod scilicet pertinet ad priuatas personas, quibus gladius commissus non est. Magistratui verò iam antè is est commissus gladius. Itaque non sumit ille: sed commisso vtitur.

Quartò, Rom. 12. 18. Apostolus iubet, vt cum omnibus pacem habeamus.

Ex sequentibus respondeatur, cùm addit, Si possibile est. Quare pii dabunt operam, vt suo vitio nulla sit occasio belli. Sin improborũ pertinacia pax perturbetur, fideles iam soluti sunt per id quod dixit Apostolus, Si possibile est.

Quintò. In veteri Testamẽto Prophetæ regnũ Christi describunt sic pacificũ, vt enses in falces, lãceæ in vomeres sint cõflandæ: quæ

omnem

omnem tollunt belli vſum. vide Mich. 4. & Eſa. 2.

Reſpond. Forma illa Chriſti regni non pugnat cum ipſo Chriſto: ſed dicit ille, quòd non venerit mittere pacem, ſed gladium: ex quo ſequitur formam illic non ſic intelligendam de regno Chriſti, vt penitus omne bellum tollatur. Verùm quòd fideles attinet, illi certè ſic pacis erunt ſtudioſi, vt libenter huic locũ ſint daturi. Interea cùm Eccleſia Chriſti ſimilis ſit verriculo, in quo etiam ſint putridi piſces: itẽ agro conſperſo zizaniis, ſi quid per tales concitetur, hoc non ampliùs Regno Chriſti acceptũ debet referri, ſed Satanæ, & illius membris. Deinde ſi quis mordicus velit tueri τὸ ῥητὸν, dici poteſt non eſſe neceſſarium, vt quicquid de regno Chriſti, eiúſque ſtatu prædixerunt Prophetæ, vt hoc ſtatim in hoc mũdo impleatur, ſed conſeruari multa ad ſecundum Chriſti aduentum, quale & hoc eſſe aſſerimus. Nam illic demum erit omnimoda pax & conſtans cõcordia inter fideles omnes, nec ampliùs mali quicquam hîc perturbare poterunt ſuis ſtudiis.

LOCVS SEXTVS DE Decimis.

Quid ſunt decimæ?

Tributum ordinarium omnium bonorum mobilium honeſtè quæſitorum, diuina conſti-

tutione magistratui Dei nomine debitum.

Vnde probatur, quod liceat eas accipere?

Primò, Dei authoritate, Leu. 27. 30. Omnes decimæ terræ de semine terræ, de fructibus arborum, Domini sunt, & sanctum Domino. Sic Exo. 22. 29. Plenitudinem tuam, & lachrymã tuam non differes. Primogenitum filiorum tuorum dabis mihi. Sic facies boui tuo, ouibus tuis, septem diebus erunt cum matre sua, die 8. dabis mihi & viri sancti eritis mihi.

Secundò, Ministerii conseruatio ita commodè retineri potest. Quemadmodum Leuitæ & Sacerdotes veteris Testamenti vixerunt ex decimis, & lectioni & doctrinæ erant destinati, sic Euangelii ministerium iisdem indiget.

Tertiò, Christus Publicanis non dat præceptum deserendi suam professionem. Sic Ioan. Baptista ad se venientes Publicanos non iubet abiicere functionem: quod vtique fecisset, si decimas, tributa & vectigalia colligere (quod illi factitabant) illicitum esset. Luc. 3. 13.

Quartò, Prou. cap. 3. 9. habetur: Honora Dominum de substantia tua, & de reliquis omniũ prouẽtuum tuorum, & implebũtur horrea tua saturitate, & musto torcularia tua affluent.

Quintò, Rom. 13. 7. Reddite omnibus quod debetur: cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal: cui honorem, honorem.

ARGV-

ARGVMENTA QVAE CONtra hunc locum afferuntur.

Primò, *Christiani sunt liberi: decimas soluere non est hominis per omnia liberi: sed argumentum seruitutis: Quare, vt cōstet sibi libertas Christiana, decimæ tollendæ erunt.*

Respond. Non pugnāt Christianum esse liberum, & eundē soluere decimas. Quia Christiana libertas ad spiritum pertinet, vt liberi simus à peccato, morte, &c. à quibus omnibus nos liberauit Christus, non autem ab oneribus Politicis: sed vt Respubl. intactas reliquit, sic suos à decimis soluendis & tributis nō exemit.

Secundò, *Matth.20.25. Principes Gentiū dominantur illis, & qui magni sunt, potestate regnant inter illos: non erit inter vos. ex quo apparet consuetudinem Gentium damnari in administrādis imperiis, cuius cùm sit pars decimas soluere, &c.*

Respond. Malè trahitur locus ad decimas, cùm illic corrigatur discipulorū ambitiosa disputatio de primatu: deinde & hoc falsum est in argumento, quod damnat quæ à Gētibus retenta sunt in Ecclesia. Nō enim statim quicquid à Gentibus mansit, vitiosum est. Nam sic manserūt bonæ artes, leges Politicæ, & alia infinita, quæ tamen nemo damnare potest.

Tertiò, *Ro.13.8. Nemini quicquā debeatis,*

nisi hoc, vt inuicem diligatis.

Respond. Contra mentem Apostoli adducitur locus. Nam immediatè præmisit, Reddite omnibus quod debetur: cui tributum, tributum: cui honorem, honorem.

Quartò, Natura omnes liberos procreat sine oneribus illis decimarum: Deus naturæ author est: Igitur Deo authore omnes liberi sine decimarum oneribus nascimur. Quare in ista libertate manendum.

Respond. Maior potest concedi, similiter & minor in naturalibus, nec aliud inde sequitur quàm decimas & alia onera nõ esse natura, sed legibus introducta. Quod autem postea assumitur, Ergo in illa libertate standum est, malè colligitur. Nam eodem pacto colliges, Natura liberi sumus conditi à vestitu. Ergo vestitus non est assumendus. Natura artes non nobiscum afferimus ergo non suntdiscendæ. Sed obseruandum est, quid Deus author naturæ iusserit, & quomodo in multis naturã iusserit corrigere vel coercere. Nam non statim, quod naturale in multis correxit. Si integra mansisset natura, tutò hãc vt ducem sequeremur. Leges autẽ Deus dedit, quibus admoneremur de corruptela naturæ.

LOCVS SEPTIMVS DE Communione rerum.

Quid est proprietas?

Est possessio rerum pleno iure, ac ius dispo-nendi pro arbitrio in iis rebus, quæ nostri sunt iuris, ita vt alterius interea non sint.

Quid est Communio?

Est facultatum communis possessio, & communis vsus, vt nec tuum, nec meum locum habeat. Dogma hoc non solùm à Catabaptistis, sed à monachis quibusdam, & ante eos à Philosophis introductum est. De quo extat etiam Platonis sententia 9. Polit. Τὸ κοινὸν, ξυνδεῖ. τὸ ἴδιον, διὰ σπᾷ τὰς πόλεις. Quæ sentētia priuatas rerum possessiones sustulit, cui fauent hodie Catabaptistæ.

Licétne ergo Christiano homini propria possidere?

1. Licet. Primò quia proprietas est pars Politicæ institutionis, quam Christus non sustulit: & Euangelium non prohibet.

Secūdò, pii nisi singulari casu è facultatibus fuerint eiecti, propria leguntur possidere. Sic Abraham, Isaac, Iacob, non solùm propria habent: sed studiosè colligunt, excolunt, conseruant & augent sine proximi detrimento. Sic in nouo Testamento, quia à Christo docentur, & conuertuntur, non iubentur sua abiicere, nisi in certo casu.

Tertiò, Prouer. 5.15. Bibe aquas de fontibus tuis: riuuli autem tui deriuentur foras in plateas: tu verò sis dominus horū solus, nec peregrinus tecum. Quo loco docet Solomon nos debere esse dominos rerum nostrarum: sed de illis nos oportere esse liberales.

Quartò, Diuitibus præcipitur vt sint liberales, quod fieri non potest nisi propria habeant. Quomodo enim de publico, vel de alieno cōmendabitur liberalitas?

Quintò, 2. Corinthiorū 9.1. laudatur illorum liberalis collatio pro Ecclesia in Iudæa. Non autem iubet omnia in medium conferre. Sic 1. Cor. 7.30. Qui emunt, sint quasi nō possideāt. Quare si emptio est concessa, proprietas quoque conceditur.

ARGVMENTA QVIBVS STAbiliunt communionem facultatum.

Primum, Acto. 2.44. & 4.32. scribitur fideles omnia habuisse communia.

Respond. Non præscribitur ibi regula, quæ omnibus seruāda sit, cùm reliquæ Ecclesiæ ab Apostolis institutæ id nō fecerint, aut iussæ etiam sint facere. Sic Cornelius & alii fideles post susceptam fidem bona sua non contulerunt in commune. Porrò illi Hierosolymis certo consilio id fecerunt, cùm paulò pòst persecutionibus essent dissipandi. Proderat igitur

bona eſſe diuendita, & inter fideles diſtributa, quàm impiis relinqui: nec debet ſpeciale exemplum ad regulam communem trahi.

Secũdò, Luc.14.33. Niſi quis renũtiauerit omnib. quæ paßidet nõ poteſt meus eſſe diſcipulus. Sic Mat.19.29. Omnis qui reliquerit domos, fratres, ſorores, matrẽ, agros, &c.

1. Reſpondeo, Duplex eſt deſertio, Vna, quæ mandatum habet, hoc eſt, quando vel bona deſerenda ſunt, vel neganda eſt pietas: tũ vtique abiicienda ſunt bona. Quo ſenſu dicit Dominus Matth.19. de deſerendis agris, &c. & recipiendo centuplo. Nec illa, inquam, faciunt ad communionem bonorum.

2. Alia eſt deſertio, quæ fit ſine mandato, vbi nemo nos perſequitur, aut è poſſeſſionibus eiicit. Hæc nullo prætextu poteſt excuſari.

Tertiò, Proximũ vt nos ipſos debemus amplecti: Ergo bona noſtra cum illo communi iure debemus communia facere.

Reſpond. Negatur conſequens. Non enim hoc inde ſequitur. Nam eſt alia via, qua proximus diligi poteſt, ſi maximè illi non communẽ faciam meam vxorem, mea bona. Ratio eſt, quòd charitas non perturbat Dei ordinem. Non etiam eſt iniqua, vt turpia concedat, ſed ſoluit proximo de noſtra copia. Et eadem eſt charitas quæ iubet, ne proximo ſimus oneri: & vt qui non laborat, non manducet. Quò facit

locus.2.Cor. 8.13. Non vt aliis sit relaxatio, & vobis angustia: sed vt vestra copia illorum succurrat inopiæ.

Quartò, Ad perfectionem omnibus est aspirandum. Sed illud est opus perfectionis: Ergo ad id omnibus est aspirandum.

Respond. Minor falsa est. Nam Christiana perfectio nō consistit in externis bonis, siue ea cōmunia sint, siue priuata: sunt enim illa ex rebus mediis, quæ & vsu bona esse possunt, & abusu mala. Ad perfectionem verò pertinent hæ virtutes, Vera Dei cognitio, tolerantia sub cruce, constantia in confessione veritatis. Deinde non satis constat quam dicat perfectionē. Nam si de vera loquuntur, illa certè in hac vita quæri nō potest: Sin de obediētia mandatorū Dei, illa iam hāc non inuoluit, cùm inter præcepta Christi aut leges Mosis nulla sint, quæ communionem vrgeant, quam illi somniant homines otiosi & egentes, qui colligerent, quæ alii abiecturi essent, & rem suam facerent ex aliorum dispendio, &c.

Ex secunda classe locorum qui nobis cum Papistis sunt controuersi, loci aliquot.

DE IVSTIFICATIONE.

LOCVS PRIMVS.

Quid

Quid est iustificatio.

EST gratuita iustitiæ imputatio sine respectu operum nostrorum. Nam phrasi Hebræa verbum iustificandi significat iustum reputari, absolui à criminibus obiectis, hoc est, in iudicio approbari. Sic Deut. 25. Iudicibus præcipit vt iustos iustificent, hoc est, causam ipsorum approbent: contrà, impios condemnent. Sic Paulus in hac disputatione hac voce vtitur, Rom. 4. 5. Credenti in eum, qui iustificat impium, &c. Gal. 2. 16. Scientes quòd ex operibus legis homo non iustificetur, hoc est, absoluatur à peccato, & iustus pronuntiatur.

Quæ est causa iustificationis?

Efficiẽs primaria & absoluta est Deus, Esa. 43. 25. Ego, ego sum (inquit Dominus) qui deleo iniquitates tuas. De Christo verò passim Apostoli hoc prædicãt, & Christus de se, quòd habeat potestatem remittendi peccata. Matt. 9. 6. Vt autem sciatis, quòd Filius hominis habeat potestatem in terra remittendi peccata, dicit Paralytico: Surge, tolle lectum tuũ & abi in domum tuam, &c. Huc pertinet Spiritus sancti etiam beneficium, 1. Cor. 6. 11. Iustificati estis per nomen Domini nostri Iesu: & per Spiritum Dei nostri. Sed de hoc non est primaria quæstio.

Quæ est causa organica, per quã iustificamur?

Iudæi legem vrgebant: Papistæ bona opera

inter quæ dilectionem etiā reponunt. Nos contrà, Christum ipsum, & fidem apprehendentē Christi beneficia.

Quomodo Christus organum est iustificationis nostræ?

Quia Pater Filium suum misit in hunc mūdum eo fine vt omnis, qui crederet in ipsum haberet vitam æternam. Hoc opus penitus perfectum est in morte & resurrectione sua, in qua sanguine suo deleuit peccata nostra, iuxta dictum Ioan. 1. 29. Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi. Et Apost. ad Col. 2. 13. Et vos cùm essetis mortui per delicta, & per præputiū carnis vestræ, simul cum illo viuificauit, condonās vobis omnia delicta, deleto quod aduersus nos erat chirographo, quod erat contrarium nobis per decreta, & illud sustulit è medio, affigens cruci: expoliatósque principatus & potestates ostentauit palàm, triumphans de illis per semetipsum. Atque hoc opus ad totam Christi personam adferri debet: ipse enim in se transtulit pœnas peccati, & iustitiæ pœnis satisfecit.

Quomodo fides organum est iustificationis nostræ?

Quatenus actio nostra est, & qualitas nobis inhærens, non iustificat, sed quatenus promissiones Dei amplectitur, quas cùm sola fide apprehendamus, & per hanc firmiter credamus his,

his, quæ de merito Christi nobis prodiderunt sacræ literæ, rectè dicitur organum quo iustificamur.

Ostende quòd fide iustificemur?

Quicquid reddit conscientias pacatas, id iustificat: fides, quæ est πληροφορία, hoc est, firmus assensus promissionum Dei, reddit pacatas conscientias, & quidem sola: Ergo fides iustificat.

Maior vera est, quia iustificatione oportet cōscientias certas esse de remissione peccatorum, de placata ira Dei, de vita æterna.

Minor etiam vera est: quia in hac causa fidē intelligimus non historiæ notitiam, qualis est in impiis etiā & Satana: sed assensum firmum, quo credimus Dei promissionibus de remissione peccatorum. Hæc fides proprium habet obiectum, misericordiam Dei promissam in Christo, meritum Christi, & propitiationē certam pro delictis nostris. Sed extant testimonia quæ de fide expressè loquuntur.

Rom. 4. 16. Ideò ex fide gratis, vt firma sit promissio: Ergo promissio non potuit rata esse nisi fidei tribuatur iustificatio.

Ephes. 2. 8. Gratia saluati estis per fidem, idque non ex vobis.

Rom. 5. 1. Per ipsum habemus accessum ad Patrem per fidem. Ibidem, Iustificati fide pacē habemus. Act. 10. 43. Petrus ait remissionē

peccatorũ accipere omnes qui credunt in eum. Ex quibus conficitur: Merita Christi amplectimur fide: Sed remissio peccatorum est meritũ Christi: Ergo remissionem amplectimur fide. Rom.4. Apostolus exemplum Abrahæ ad hãc rem accommodat, iustificati fide. Ac ne dicamus speciale hoc esse, applicando dicit. vers. 23. Hæc autem scripta sunt non solùm propter illũ: sed etiam propter nos, quibus ad iustitiam imputatur.

Cur sola fide iustificamur?

1. Vt firma sit consolatio, quæ subsistere non potest, nisi fide & quidẽ sola amplectamur beneficium Christi. Nam quicquid fidei adiunxeris in gradu meriti, imperfectum est, & ob id certi esse non possumus. Hanc dubitationẽ excludit fides.

Secundò, vt tollatur opinio priuati meriti: nam gloria redemptionis nostræ ad solũ Christum pertinet, cui derogare est impium.

Hinc Apost. Ad Rom.4.16. vtitur vocabulo gloriæ: & Rom.3.24. δωρεὰν: & Ephes. 2.8. Gratia saluati estis. Ibidem, Donum Dei est, non ex vobis, neque ex operibus, ne quis glorietur.

Quomodo est intelligenda hæc propositio, Sola fide iustificamur?

Respon. ad hunc modum, Iustificamur gratis propter Mediatorem Christum solum: non

propter

propter nostra aliqua merita donamur, remissione peccatorum & reconciliatione. Christus enim solus est μεσίτης, mediator, ἱλαστὴρ, reconciliator, & λύτρον, pretiũ pro peccatis nostris. 1. Tim. 2. 5. Vnus mediator Dei & hominũ. Heb. 8. 6. Christus melioris Testamẽti mediator est: Heb. 9. 15. Noui Testamẽti mediator, & cap. 12. 24. Gal. 3. 20. Matt. 20. 28. vt daret animam suã λύτρον, pro multis.

Non igitur excludit bona opera in renatis, particula Sola?

Minimè, sed ne sint λύτρον, hoc est, pretium redemptionis, alioquin bona opera, tam externa quàm interna fides requirit, iuxta sententiã Pauli Ro. 3. 31. per fidem legem stabiliri, non aboleri: sed illa non placere Domino, licet fiãt in speciem bene & honestè, nisi quatenus sumus incorporati Christo.

Docuerúntne etiam sic veteres de fide?

Maximè: nam facilè intellexerunt vocẽ δωρεὰν, item χάριτι apud Paulum exclusiuam particulam Solam constituere. Sic Hilarius in cap. 8. Mat. inquit, Monet Scribas remissum ab homine peccatũ. Hominẽ enim in Iesu Christo tantùm contuebantur: & remissum ab eo, quod lex laxare non poterat. Fides enim sola iustificat. Sic Ambrosius in epistolam ad Rom. cap. 3. sæpius hac phrasi vtitur, & cap. 4. Sola fide iustificati sunt dono Dei. & cap. 9. Sola fi-

des posita est ad salutem. Idem Origenes contendit in hanc Epistolam scribens.

Quomodo aduersarij docēt de iustificatione?

PRIMVM ARGVMENTVM.

Docent nos iustos fieri nō gratis merito Christi, sed propter opera nostra: & quia illa imperfecta sunt, dubitare semper iubent, an sis in gratia, an verò odio, & hanc dubitationem non iudicant esse peccatum.

Responde ergo ad illorum argumenta.

Respond. Opera legis non iustificare nos hinc constat. Si enim obedientia erga legem essemus iusti, tum legem faceremus. At legem non facimus, imò ne possumus quidem: Ergo obedientia legis non sumus iusti. Huc faciunt testimonia Pauli Rom. 3. 28. Arbitramur hominem iustificari fide, non ex operibus legis: Quod dictum de tota lege accipi debet. Nam si aliqua pars legis iustificare posset, non fuerat necessum Christum nasci: At illud necessarium fuit: Nulla igitur pars legis erat, quæ nos iustos faceret. Sic Gal. 2. 16. inquit, Non ex operibus legis. Act. 13. 38. Quibus non potuistis in lege iustificari, in hoc omnis qui credit iustificabitur.

SECVNDVM ARGVmentum.

Dile-

Dilectione iustificamur: Ergo non fide. Antecedens probatur ex 1. Cor.13.2. Si omnē fidem habeam, dilectionem autem non habeam, nihil sum.

Respond. Loquitur Apostolus non de fide iustificante, sed de fide miraculorum effectrice:& opponit fidem miraculosam dilectioni, vt ostendat quàm sint necessaria fidelibus officia dilectionis in hac communi vita. Nec etiam dicit dilectionē iustificare: sed ait, Nihil sum, quasi dicat, testor hoc ipso me non habere veram fidem, per quam homines iustificantur.

TERTIVM ARGVMENTVM.

Ad Coloss.3.14. Charitas est vinculum perfectionis.

Respond. Non sequitur inde, quòd charitas iustificet: sed quòd sit medium, per quod Ecclesiæ pax conglutinatur tanquam membra vnius corporis. Nam inter perfectos iam, verè vinculum est charitas: nec illi hūc titulum tribuit, quòd charitas sit causa perfectionis: sed potiùs signum ex quo perfectos possis intelligere. Malè igitur colligunt: Quicquid perfectos reddit coram Deo, id iustificat. Charitas perfectos reddit coram Deo: Ergo iustificat. Minor falsa est, nec potest ex præsenti loco probari. Nam non huc respexit Apost. Alioquin non fuisset opus Christo Mediatore.

QVARTVM ARGVmentum.

1. Pet. 4 8. Dilectio tegit πλῆθος ἁμαρτιῶν: Ergo iustificat.

Respond. Falsa est consequentia: nam loquitur de dilectione erga proximũ, quæ tegit peccatorum multitudinem in proximo, hoc est, tegit non propria, sed aliena ipsius proximi peccata, hoc est, nõ est morosa, facilè omnia in melius interpretatur.

QVINTVM ARGVmentum.

De Eleemosynis idẽ vrgẽt. Daniel. 4. 24. Peccata tua eleemosyna redime, & Luc. 11. 41. Date eleemosynam, & omnia munda vobis.

Respondeo, Daniel præscribit Regi pœnitentiam, in qua necesse est adesse externa aliqua signa: non autem mens est quòd his eleemosynis coram Deo iustificetur. Et locus Hebraicè apertior est: Redime peccata tua iustitia, & iniquitates tuas beneficiis erga pauperes, & erit prolongatio pacis tuæ. Apud Lucam autem Dominus internam priùs munditiem requisiuit, taxans hypocrisin Pharisæis, qui lauabant externa. Non igitur eleemosynis tribuit iustificationem coram Domino. Sunt tamen qui locum ironicè intelligant.

SEX-

SEXTVM ARGVMENTVM.

Iacobi 2.24. Videtis igitur quòd ex operibus iustificetur homo: & non ex fide solùm.

Respond. Sunt qui Epistolā hanc reiiciant, quia apertè videtur pugnare cū doctrina Pauli in negotiis iustificationis. Tamen facilè respōderi potest: nam Iacobus loquitur de operibus iustificatorum, quæ fidem sequuntur: & distinguit disertè inter fidem νεκρὰν, id est, mortuā: & ζῶσαν, id est, viuam, hanc vrget cùm paulò antè παλιγγενεσίαν tribuerit verbo veritatis, Genuit nos, inquit, verbo veritatis. Deinde iustificari, hîc est deprehendi iustum, quod fit à posterioribus, & operibus quæ fidem sequuntur.

SEPTIMVM ARGVmentum.

Luc.7.47. Remittūtur illi peccata multa, quia dilexit multum.

Respondeo, Christus mox seipsum declarat, inquiens, Fides tua te saluum fecit.

OCTAVVM ARGVmentum.

Vita æterna est merces: Ergo datur propter nostra opera.

Respond. Non sequitur: nam merces dici-

tur etiam id, quod pueris immeretibus datur. Sic rectè inquit August. Deus coronat in nobis sua dona. Et merces est, quia iustificatis tribuitur pro ærumnis & afflictionibus propter promissionem, & non propter opus operatum.

NONVM ARGVMENTVM.

Christus tantùm impetrauit nobis primã gratiã, sed nos oportet propria impletione legis postea in gratia persistere: Ergo iustificamur non fide: sed operibus nostris.

Respond. Falsum est antecedens. Perfectũ enim est opus & beneficium Christi. Opera autem postea requiruntur in renatis vt vera signa iustificatorum. Denique incerti adhuc essemus de salute, si à nostris operibus pẽderet, cùm legem nũquam faciamus. Vera est igitur sententia, quòd Christus solus sit ἱλαστὴρ & μεσίτης, & λύτρον pro peccatis nostris, quod beneficium sola apprehendit fides, & in hoc sensu sola iustificat.

SECVNDVS LOCVS, de bonis operibus.

Quid de bonis operibus sentis?

Sentio bona opera in renatis esse necessaria, ideóque requirenda: quamuis propter illa non imputatur nobis iustificatio.

Quid

Quid differt illa doctrina à Pontificia?

In eo differt, quòd illi docent iustos nō pronuntiari propter dignitatem operum, cùm id fiat propter λύτρον Christum. Deinde quòd nobis falsò impingunt, nos bona opera penitus repudiare.

Quid sunt bona opera?

Sunt veri fructus fidei, quibus ad gloriam Dei proximo inseruiunt pii, secundùm mandatum Christi, Matth.5. 16. Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant vestra opera bona: & glorificent Patrem vestrum, qui est in cœlis.

Cur facienda sunt bona opera?

Primùm facienda sunt, quia Deus illa requirit: & quia non sumus nostri iuris, par est, vt pii eius faciant voluntatē, in cuius potestate sunt constituti. Hinc præcepta decalogi in veteri Testamento: & præceptum Christi, Hoc est mandatum meū, vt diligatis vos mutuò, Ioan. 15.12.& 13.34. Et Rom.8.12. Debitores sumus Dei, non carnis. *Deus illa requirit.*

Deinde facienda sunt, quia illa requirit nostra vocatio ad quā reuocat nos Apost. Eph.4. 1. iubens vt dignè ambulemus vocatione qua vocati sumus. *Vocatio nostra.*

Da alium locum.

1.Thess.4.3. Locus est, qui vtranque causam complectitur, hoc est, Deum iubentem, & vo-

cationis nostræ rationem. Hæc est voluntas Dei, sanctificatio vestra: vt abstineatis à scortatione, & sciat vnusquisque vestrum suum vas possidere cum sanctificatione & honore, non cum affectu cōcupiscentiæ, quemadmodum & Gentes quæ non nouerunt Deum. Ne quis opprimat ac fraudet in negotio fratrē suum, propterea quòd vltor est Deus de omnibus his, quemadmodum & antè dixi vobis ac testati sumus. Non enim vocauit nos Deus immūditiæ causa, sed ad sanctificationem.

Quo fine facienda sunt?

De finibus iam facile est respondere ex loco Matth. 5.16. & 1. Thess. 4.7.

1. Principalis finis est obedire Deo: deinde accedit gloria Dei, vt glorificent nomen Dei etiam homines ex nostra pia conuersatione. Matth. 5.

2. Alter finis est, Proximi vtilitas, qui nostris operibus indiget, his iuuatur etiam temporali commodo.

Tertius, vt extent fidei nostræ certa signa & testimonia. Nō debet enim esse mortua, sed bonis operibus efficax & fructifera. Arbor non dici potest bona, quæ semper sterilis est: sic de fide iudicandum est.

Quartò, vt vitemus poenas, quas Dominus malè operantibus comminatur. Psal. 38.12. Propter iniquitates corripis homines. Nec simpliciter

citer malè operantibus, ſed bona negligentibus: vt Mat. 25. 35. Sitiui & non dediſtis mihi potum, &c.

Quintò, vt Spiritum ſanctum habitãtem in nobis retineamus. Nam vt malefactis amittitur Spiritus ſanctus & fides: ita bonis operibus fides alitur, & Spiritus ſanctus in nobis exhilaratur. Hinc Eph. 4. 30. inquit, Ne contriſtetis Spiritum ſanctum Dei, per quem obſignati eſtis in diem redemptionis. Hi veri ſunt fines, non autem vt merito bonorum operum apud Deum iuſtificemur: id enim ſolius Chriſti eſt beneficium.

LOCVS TERTIVS, de peccato originali.

Quid eſt peccatum originale?

Eſt totius naturæ humanæ deprauatio, ac corruptio. Veteres definierunt, quòd ſit carentia iuſtitiæ originalis, quæ ineſſe debuit.

Quæ ſunt eius partes?

Reatus & propagatio. Reatus dicitur ipſa damnatio & imputatio, quæ nos reos facit iræ Dei. Mali propagatio verò eſt ipſa corruptio & vitium, quod aliàs vocant peccatum. Quare nõ ſolùm reos nos facit: ſed ita deprauat actu, vt tanquam ex fonte infecto ſcaturiant omnia peccata, qualia ſunt ignorantia Dei, contemptus & odium Dei, deſperare de gratia Dei,

carere metu Dei, amore & dilectione Dei, confidere suis viribus, aliáque actualia peccata.

Omnésne tenentur peccato originis?

Omnes: quod constat ex Gen. 8.21. Figmentum cordis humani malum est à pueritia. Psal. 51.7. In peccato conceptus sum & in iniquitate concepit me mea mater. Ephes. 2.3. Natura filii iræ. Rom. 5.12. Mors pertransiit per omnes homines, in quo omnes peccauerunt, ne infantes excipi possent, addit ver. 14. mortem etiam in illis regnasse, qui non peccarunt instar transgressionis Adæ. Et Ioan. 3.3. Nisi quis renatus fuerit è supernis, non potest Regnum Dei videre. Ex quo sequitur omnes habere vitiosam originem, quādoquidem omnibus est necessaria regeneratio.

His accedit ratio quoque illa.

Omne generans generato dat talem naturam, qualem ipsum generans habet: Adam vitiatam & corruptam habet: Ergo talem est nobis largitus. Item, Quod natura dat alicui rerum generi: id singulis est tribuendum, quæ in eo genere continentur: Natura nobis dat peccatum: Ergo singulis & omnibus dat, qui ab Adamo descendunt.

Quomodo Papistæ de hoc docent?

Peccatum originis esse conditionē quandā mortalitatis, non autem corruptionem naturæ. Nos contrà docemus esse reuera deprauationem

tionem naturæ & omnium virium in homine. Deinde quòd reuerà etiam mereatur mortem æternam, cùm illi doceāt actualia solum mortalia esse. Præterea cōcupiscentiam etiam manere, & esse peccatum. Item manere peccatum originis post Baptismum. Demum fomitem esse verè peccatum: nec rem quandā mediam.

Responde ergo ad illorum argumenta.

ARGVMENTVM PRIMVM.

Adam pœnitentia emendatus est, & iustificatus fide: Ergo corruptionem non transfudit, sed potiùs emandatam naturam per pœnitentiam & fide iustificatam.

Respond. Fides & pœnitentia Adæ profuit ad salutem, non autem sustulit corruptionem: sed ne imputaretur. Itaq. sublata est imputatio non vt vitio interea careat: ac qualem ipse habuit, talem etiam posteris transmisit.

Secundò, peccatum est voluntarium: Nascentes non habent adhuc voluntatem: Ergo nec peccatum.

Respond. Maior intelligi debet de actualibus peccatis, in quibus voluntas est. Verùm hic sermo est de naturæ corruptela, non externis actualibus peccatis. Præterea & hoc peccatum non sine voluntate est introductum, cùm Adam volens & sciens peccarit. Demum nostra voluntas quoque contaminatur, vt praua

velimus,& odio habeamus honesta,&c.

Tertiò, Filij non debent ferre iniquitatē patris, vt est apud Eze.18.20. Ergo posteri nō debent puniri ob delictum Adæ.

Respond. Alia est ratio Dei, alia hominis. In humano iudicio filii non ferunt iniquitatem parentum. At Deus, cui nihil nisi iustum placet, sine externis actionibus punit cordis malitiam Exempla sunt Sodomitæ, & diluuium, vbi Deus infantes cum adultis punit. Deinde loquitur Ezechiel de pœnis & supplicio, quæ peccatis infliguntur. At nos hîc non de pœna: sed de ipso peccato, de ipsa actionum causa. In quo loco Deus etiam neminem in æternum damnat, nisi qui iusto iudicio damnatur. Nam cordis peruersitas generalis est.

Quartò, Naturalia nec laudē nec vituperium merentur: Peccatū illud est naturale: Ergo.

Respond. Loquitur sententia illa de corporis vitiis, vt si quis sit claudus, cæcus, luscus, &c. ab his nec boni nec mali dici meremur, cùm sint naturæ vitia. Verùm aliud est loqui de corruptela naturæ, de fomite & mali traduce. De hac audienda sunt testimonia Scripturæ. Rom.8.7. Sensus carnis inimicitia est aduersus Deum: & Eph.2.3. Eramus natura filii iræ, mortui in peccatis. Rom.5.12. & vers.18. Per vnius delictum propagatum est malum in omnes homines ad condemnationem.

LO-

LOCVS QVARTVS, de Ecclesia.

Quid est Ecclesia?

Est coetus fidelium audientium Christi pastoris doctrinam, & vtentium eius Sacramentis, iuxta Symbolum Apostolorum: Credo sanctam & Catholicam Ecclesiam, quæ est sanctorum communio.

Quomodo diuiditur Ecclesia?

In vniuersalem & particularem. Vniuersalis dicitur καθολικὴ, quia ex Iudæis præcipuè ante Christum natum est collecta, ex Gẽtibus verò post eius incarnationem. Deinde, quia vbique Gentium est diffusa, secundùm Christi mandatum, Ite in mundum vniuersum, Marci vltimo. Demum quia in his terris colligitur vsque ad finem mundi. Durabit enim doctrina Christi, defensio etiã coetus illius, & dona Spiritus sancti vsque ad seculi consummationem. Matth. 28. 20. Ecce ego vobiscum sum vsq. ad consummationem seculi. & Ioan. 14. 18. Non relinquam vos orphanos, &c. *Vniuersalis.*

Particularis Ecclesia dicitur coetus certi loci & tẽporis, qui profitetur veram doctrinam & Sacramenta. Talis Ecclesia erat Corinthiaca, Ephesina, Romana tempore Apostoli Pauli. *Particularis.*

Da aliam diuisionem prioris membri.

Vniuersalis, alia est perfecta, alia imperfe-

Perfe-
cta.

cta. Perfecta triumphans dicitur, quæ in cœlis iam cum Christo viuit, exempta his terrenis miseriis, quæ iam verè ruga & macula caret.

Imper-
fecta.

Imperfecta dicitur, mixta ex bonis & malis, militans in his terris, & gemēs adhuc sub cruce: tendit autem ad illam cœlestem congregationem sanctorum.

Súntne igitur admixti mali in hac Ecclesia Christi?

Quatenus militans Ecclesia corpus Christi dicitur, non habet malos coniunctos. Nam mali membra sunt Satanæ. Verùm quatenus discerni non semper possunt, & Ecclesia dicitur Congregatio externè profitentium doctrinam Christi: eatenus hypocritæ sese commiscent, nec erumpunt in apertam apostasiā. Sic Christus cœtum docet esse commixtum ex bonis & malis, parabola illa de verriculo misso in mare, in quo boni & putres pisces cum sordibus contrahuntur: Item de agro zizaniis consperso cùm esset tritico consitus, Matt. 13. Et 1. Ioan. 2. 19. de malis & hypocritis agit in Ecclesia: de nobis egressi sunt, cùm non essent de nobis.

Ergo mali non sunt etiā in Ecclesia externa.

In Ecclesia quidem sunt, sed nō sunt de Ecclesia, hoc est, sunt membra Ecclesiæ, quæ corpus Christi dicitur. Ratio est, quia sunt membra Satanæ: quo distinguitur Ecclesia Christi à malis.

Vbi

Vbi est Ecclesia?

1. Perfecta in cœlis est cum Christo: militãs autem in terris non debet certo loco alligari, secundùm dictum Christi, Ioan.4.21. Veri adoratores nec in hoc monte, nec Hierosolymis: sed in spiritu & veritate.

Deinde non posset esse Catholica, si vni alligaretur loco, vt Donatistæ Africæ. Nam καθολικὴ dicitur, quia ex omnibus locis & nationibus colligitur. Præterea Christus iussit vbiq. terrarum docere: Ergo vbique sua habet membra:& ob id, vbique est Ecclesia Christi per totum mundum dispersa.

An erret Ecclesia.

Quatenus regitur à Spiritu sancto, nõ errat: est enim Spiritus veritatis. Sed quia iidem homines etiam manent, humanitus etiã quædam patiũtur: vt exẽplo sunt Dauid, Moses, Petrus. Ecclesia Israelis sæpe & grauiter errauit: sic Ecclesia militans errare potest.

Quomodo igitur regitur à Spiritu sancto?

Cùm audit vocẽ Domini sui, regitur etiam à Spiritu sancto, vt non erret: sed cùm de suo aliquid statuit extra verbum Dei, errori proxima est. Quare sic verum erit argumentum.

Quicquid regitur à Spiritu sancto non errat, quatenus regitur à Spiritu sancto, & vocem alterius non audit: Ecclesia regitur à Spiritu sancto: Ergo Ecclesia nõ errat, quatenus ab eo

regitur,& vocem alterius non audit.

Obijcio argumentū ex cap.5. 27. ad Ephes. vbi Ecclesia Christi dicitur carere ruga & macula Sic Cant.4. Vna est columba mea, perfecta mea, &c.

Respond. Mala est consequentia. Nam Apostolus ibi fines assignat, cur semetipsum tradiderit pro sua Ecclesia, nimirum vt illam sanctificaret, mundās eam lauacro aquæ in verbo, vt illam exhiberet sibi gloriosam, non habentem maculam aut rugam, aut quicquam tale, sed vt esset sancta & irreprehensibilis. Hic finis est passionis Domini. Non autem sequitur, Ergo in his terris talis est. Perfectio illa quidem hîc incipit, perficienda autem in vita cœlesti, ob cuius spei certitudinem vtcunque etiā hîc perfecta dici potest. Sic Solomon loquitur, qualis habeatur Ecclesia Christi in conspectu eius, & redemptionis merito, non qualis sit sua natura, quatenus ex hominibus peccatoribus est collecta.

Aliud arg. 1. Timoth. 3. 15. dicitur columna & firmamentum veritatis.

Respond. Dicitur στύλος καὶ ἑδραίωμα τῆς ἀληθείας, propter Christum cui innititur vera fide & inconcussa constantia. In huius enim confessione Marpesia caute durior est. Non autem sequitur Ecclesiam proinde sine peccato esse, aut erroribus non subiectam: nam de Ec-

clesia

clesia prædicãtur καθ' ὑπόθεσιν, quãdiu in Christo Domino perdurat, & quatenus, eatenus est ϛῦλος & ἑδραίωμα τῆς ἀληθείας.

Quæ sunt notæ Ecclesiæ?

Cognoscitur Ecclesia Christi certis argumẽtis & notis.

Primùm vbi sana regnat Christi doctrina, vbi verbum Dei primas tenet, firmissimũ est signum Ecclesiæ Christi. Ioan. 8. 47. Qui ex Deo est, verbum Dei audit. & Ioan. 10. 29. Oues meæ vocem meam audiunt: & Ioan. 18. 37. Qui ex veritate est, audit vocem meam.

2. Alterum signum Ecclesiæ est Sacramentorũ Christi administratio: Baptismus & Cœna in hoc constituta sunt inter alios fines, vt distinguerent Christi Ecclesiã ab aliis cœtibus, Vbi ergo illa purè administrantur, veræ Ecclesiæ notam esse scias. Accedunt deinde aliæ virtutes & dona Spiritus sancti, vt est vera pœnitentia, vera dilectio, vera adoratio, vnionis & veritatis studium. Ioan. 14. 16. Rogabo Patrẽ & alium Cõsolatorem dabit vobis, vt maneat vobiscum in æternum, Spiritum veritatis, quẽ mundus non potest accipere, &c.

LOCVS QVINTVS, DE coniugio Sacerdotum.

Licétne ministris verbi Dei contrahere matrimonium.

Maximè licet.

Vnde probabis?

Primùm à definitione matrimonii, quod est mariti & vxoris honesta copulatio ab ipso Deo instituta Ge.2.22. Mat.19.5. cõfirmatur à Christo sine exceptione: Ergo Ministris etiã licet.

Datum est illud præceptum multitudini hominum, at nõ ad singulos pertinet, vt agricultura necessaria est, non tamen necessum omnes esse agricolas.

Respond. Verum illud est, Sic non necessum est Ministrum esse vxoratum, licitum tamen hinc esse constat, cùm nulla exceptione ab hac lege sint exempti.

Habésne Scripturæ etiam testimonia?

Habeo, 1. Tim.3. 2. vbi ministrorum canon describitur, etiam id habetur, Vt sit vnius vxoris maritus: quod non sic accipimus quasi necessarium iudicemus ducere vxorem: sed vt constet illi esse liberum, nec more Iudæorum plures qnoque quàm vnam vno tempore habere debet. Interea si quis castè sine vxore possit viuere, vtique honestè is faciet, abstinendo.

Habes alia etiam testimonia?

Apostolus Paulus 1.Cor.9.5. inquit, An non habemus potestatem sororem mulierem circumducendi, quemadmodum & cæteri Apostoli, & fratres Domini & Cephas? Et ad Hebr.13.4. scribitur, Honorabile est inter omnes

omnes coniugium, & cubile impollutum: scortatores autem & adulteros iudicabit Deus.

Habes etiam exempla?

Habeo Mar.1.30. legitur de Petro, quòd habuerit. Sic Matth.8.14. Christus socrum Petri liberat à febri: fuit igitur vxoratus.

Et Paul. Philipp. 4. 3. Comparem germanã agnoscit, quæ de vxore legitima dixit.

Ac de Petro habetur illud insigne dictũ ad vxorem, quæ cum ad martyrium duceretur, inquit, O coniunx, memẽto Domini. Eusebius lib.3.cap.30.

In Synodo Nicena, Paphnutius confessor Synodo suasit, ne sacerdotibus negaretur matrimonium, & eius sententia obtinuit. *Circa annum Domi. 313.*

Et Apost. 1. Tim.4.3. manifestè recenset inter dogmata erronea, nuptias prohibere. In veteri Testamẽto sacerdotes maritati erãt. Leu. 21.13. Eze.44.21. & Græcæ Ecclesiæ in eo semper Romanis restiterunt. *Dist.31*

LOCVS SEXTVS DE numero Sacramentorum.

Quid significat vox Sacramenti?

Apud prophanos scriptores significat obligationem militarem iuramento cõfirmatam. Hinc militare Sacramentum. Et Iurisconsulti sacramentum vocant certos asses in litibus depositos apud pontem. De quo Varro sic scri-

bit lib.4.de Ling.Latin. Qui petebat & is qui inficiabatur de aliis rebus vtrinque quingētos æris ad pontem deponebant: de aliis item rebus certum numerū assium. Qui iudicio autē vicerat, suum sacramentum à sacro auferebat. Victi(asses)ad ærarium redibant, id est,victus ex pecunia quam deposuerat, mulctabatur in pœnam iniustæ litigationis, qui ærario cedebat.

Quid Theologis significat Sacramentum?

Primùm significat mysterium. Sic Ephes.5. 32. de coniugali amore loquens ait Apostolus, Hoc sacramentum magnum est,verùm loquor de Christo & Ecclesia. vbi in Græco est vox μυςήειον. Sic Augustinus mysticas interpretationes vocat sacramenta, vbi à sensu historico receditur: & ipsam allegoriam appellat sacramentum figuratum, vt ex explicatione Psal. 103.3.in illa verba, ascendit super pennas ventorum. Verùm in præsenti quæstione sacramentum vocant Theologi ceremoniā à Christo institutam in locum sacramentorum veteris Testamenti,habentem signum externū internæ gratiæ, h.e. reconciliationis, qua Christus nos Deo reconciliauit,& quæ per Euangelium prædicatur.

De fine Sacramentorum breuiùs.

Sacramentum est inuisibilis gratiæ visibilis forma.

Quot sunt Sacramenta?

Scholastici septem enumerant: alii tria, nos solùm duo agnoscimus.

Quæ sunt illa?

Baptismus & Cœna Domini. Quibus addunt Papistæ, Ordinem, Confirmationem, Vnctionem, Pœnitentiam, & Matrimonium.

Cur tantùm duo sunt?

Primùm, quia Christus solùm duo hæc instituit, Baptismum dico, & Cœnam Domini, eáque suæ Ecclesiæ reliquit celebranda?

Vbi instituit.

Baptismum instituit Matt.28.19 Eũtes, docete omnes Gentes, baptizantes eos in nomine Patris, Filii, & Spiritus sancti. Sic Marc. 16. 15. Ite in mundum vniuersum, & prædicate Euangelium omni creaturæ: qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit.

Cœnam verò, Matt.26.17. Mar.14.12. Luc. 22.7. quam institutionem repetit Apostolus 1. Cor.11.23.

Affer aliam rationem, cur tantùm sint duo Sacramenta.

Quòd tantùm duo sint Sacramenta in Ecclesia Christi admittenda præter rationẽ prædictam potest etiam ex eo probari, quòd definitio Sacramenti aliis non cõpetat: ac demum quia Veteres etiam videntur non plura agnouisse.

Quomodo à definitione Sacramenti probas?

De consecr. distinc. 2. can. Sacrificium. Tract. 80. in Ioan.

4 Sacramentum eſt inuiſibilis gratiæ viſibilis forma. Qua definitione volunt exprimere in Sacramento oportere duo eſſe, viſibilem formam, quæ ſenſibus oculorum obiecta ſit. Alterũ dicitur inuiſibilis gratia, hoc eſt, promiſſio ſignis addita. Sic Auguſtinus inquit, Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum. Verbum eſt inſtitutio Chriſti. Elementum autem ſymbola externa quibus eſt annexa certa promiſſio. Hæc ſolùm cõpetunt Cœnæ & Baptiſmo: cùm reliqua nec verbum, hoc eſt, inſtitutionem Chriſti habeant, nec ſigna externa gratiæ, hoc eſt, reconciliationis, qua Deo per Chriſtum ſumus reconciliati: quæ ſigna prædicatione Euangelii ſunt annexa miniſterio.

Quot agnoſcunt Veteres Sacramenta?

5 Duo quoque vera agnoſcunt. Auguſtin. Epiſtola 118. ad Ianuariũ inquit, Chriſtus Sacramentis numero pauciſſimis, obſeruatione facilimis, ſignificatione præſtantiſſimis, ſocietatẽ noui populi colligauit. Sicut Baptiſmus Trinitatis conſecratus: & communicatio corporis & ſanguinis ipſius. Et lib. 3. de doctrina Chriſti. cap. 9. Nec eorũ ſignorũ quæ iam intelligimus, operatione graui onerati ſumus. Sed quædam pauca pro multis, eadémque factu facilima & intellectu auguſtiſſima, & obſeruatione caſtiſſima, ipſe Dominus & Apoſtolica tradidit

dit disciplina, sicut est Baptismi sacramentum, & celebratio corporis & sanguinis Domini. Ambrosius in libro de Sacramentis tantùm duo quoque habet, Baptismum & Eucharistiam.

LOCVS SEPTIMVS, de inuocatione sanctorum.

Quos vocas hîc sanctos?

Respond. In hac quæstione sancti dicuntur defuncti & mortui fideles, vt sunt Apostoli, Martyres, & alii pii in vera fide mortui.

Habétne Scriptura alios etiam sanctos?

Scriptura sanctos vocat etiam fideles in hac vita. Sic Apostolus Romanis scribens, statim in inscriptione dicit, κλητοῖς ἁγίοις, id est, vocatis sanctis. 1. Cor. 1. 2. κλητοῖς ἁγίοις: & in 2. Cor. 1. 1. σὺν τοῖς ἁγίοις πᾶσι, cum omnibus sanctis qui sunt in tota Achaia. Ad Philip. 1. 1. πᾶσι τοῖς ἁγίοις. Ad Col. 1. 2. Sanctis qui sunt in Colossis & fidelibus fratribus.

Orántne hi sancti pro nobis?

Orant hi pro nobis: & vt id faciant etiã atque etiam flagitandum est. Iacob. 5. 16. Orate pro vobis inuicẽ, vt sani sitis: multum enim valet deprecatio iusti efficax. Sic Paul. Philip. 1. 4. pro Philippensibus orauit, vt in cognitione veritatis permaneret. Et de Colossensibus ait, Colos. 1. 9. Non desinimus pro vobis orare, &

poscere, vt impleamini agnitione. Et Col. 4. 3. petit, vt simul pro ipso etiam orent, Orantes simul etiam pro nobis. Et 2. Thess. 3. 1. Quod superest orate fratres pro nobis. 1. Timoth. 2. 1. Pro omnibus hominibus, pro Regibus, & omnibus in eminentia cõstitutis. Hunc morem habuit Ecclesia semper in veteri Testamento, vt est videre in historia Abrahæ orantis pro Sodomitis, Gen. 18. 27. Prophetæ orant pro peccatis populi Dei. Moses pro populo orat. Exo. 17. 11. Iob pro amicis. 42. 9. Apostoli etiam idẽ fecere, vt est videre Act. 8. 15. & 12. 5.

Orántne mortui pro nobis?

Id probari ex sacris literis non potest: Et D. Augustinus in hac quæstione cùm multùm laboret, tamen fatetur spiritus defunctorum ibi esse, vbi non videant quæcunque aguntur aut eueniunt in ista vita hominibus. Et paulò pòst subiicit, Proinde fatendũ est nescire mortuos quid hîc agatur. Ac de matre sua eleganter inquit: Si rebus viuentiũ interessent animæ mortuorum, & ipsæ nos, quando eas videmus, alloquerentur in somniis, vt de aliis taceam, meipsum pia mater nocte nulla deseret, quæ terra marique sequuta est, vt mecum viueret. Absit enim, vt sit facta vita feliciore crudelis. Quòd si igitur rebus humanis non intersunt, & insuper nesciũt quid hîc agatur, inuocandi nõ sunt.

De cura pro mortuis T. 4 fo. 190. cap. 15.

Quomodo

Quomodo igitur diues rogat pro fratribus suis quinque? Luc.16.27.

Primùm diues quidem rogat, sed nihil impetrat. Præterea diues illic nescit quid fratres agant in hac vita. Adde quòd narratio hæc est καθ' ὑπόθεσιν, non historia rei gestæ. Itaque tãtùm abest, vt intercessionem sanctorum tueatur, vt eam etiam impugnet.

Centurio Luc.7.3. mittit seniores, qui pro puero paralytico intercedant.

Matth. cap. 8. 5. hoc factum scribit ab ipso Centurione. Lucas missos priùs seniores habet. Sed nihil ad inuocationem sanctorum post hanc vitam. Nam in hac vita id fieri debere libenter concedimus.

Angeli intelligunt res mortalium: Ergo animæ quoque intelligunt.

Alia est Angelorum ratio, qui sunt spiritus ministratorii ad salutem electorũ missi, Heb.1.14. Ideóque his vt ministris & ad ministerium ipsorum necessaria multa reuelantur. Non sic de animabus fidelium statui debet, quæ ministri viuentiũ non sunt, nec mittuntur, vt Angeli ad homines.

Atqui in hac vita pro suis orarunt: Ergo multò magis iam in statu perfecto.

Mala est consequentia. Conditio vitæ huius id habet, vt pro nobis mutuò oremus. Cui accedit expressum verbũ, Iacobi 5.16. Sed vitæ

beatæ status in cœlis nihil tale habet in sacris literis. Deinde non sequitur, Hîc orarunt pro piis: Ergo illic idem præstabunt: alioqui nobiscum etiam flebunt, vigilabunt, ieiunabunt: quæ partim in vitam beatam non cadunt, partim non locum habent.

Cur igitur non sunt inuocandi?

1. Primùm quia in sacris literis cuius rei non habemus testimonia Sancti Patres non aliquē inuocarunt ex Patribus, sed ipsum Deū Creatorem cœli & terræ.

2. Deinde quia Christus hunc vnum nobis inuocandum proponit: idem faciunt Apostoli, Patrem inuocandum per Iesum Christum Filium eius ex Spiritu sancto, qui suos illuminat in inuocatione.

3. Tertiò, detrahit hæc doctrina merito & dignitati Christi, hic enim Mediator est constitutus inter Deum & homines. 1. Tim. 2. 5. Vnus Mediator est Dei, & hominum, homo Iesus Christus. Et 1. Ioan. 2 1. Aduocatum habemus apud Patrem Iesum Christum iustum, qui est propitiatio pro peccatis nostris. Rom. 8. 34. Ad dextram Patris interpellat pro nobis. Heb. 7. 25. Saluare potest in perpetuum accedentes ad Deum per ipsum, semper viuens ad interpellandum pro nobis.

5. Præterea inuocatio simul habet coniunctum cultū: vnde sequitur, Solus Deus est colendus: Ergo

Ergo idem solus inuocādus in necessitatibus: hinc Christus Mat. 4. 10. dicit Satanæ: Dominum Deum tuum adorabis, & illum solum coles, Deut. 6. 13. quia inuocatio pars est cultus Diuini.

Quintò iuuare non possunt.

Deinde nec constat eos res nostras intelligere.

Præterea constat etiam gratas non esse illis preces ad eos fusas, cùm voluntati Dei repugnent.

Denique non constat eos pro nobis orare.

Quibus omnibus maxima illa est, Deum solum velle inuocari. Deut. 6. 13. Dominum Deū tuum inuocabis, & illum coles: non sunt igitur inuocandi sancti.

LOCVS OCTAVVS, de Purgatorio.

Quid vocant Purgatorium?

Medium locum inter vitam æternam, & cōdemnationem extremam, in quo animæ defunctorum continentur purgandæ & expiandæ à certis delictis, pro quibus hîc diuinæ iustitiæ satisfactum non sit.

Estne purgatorium?

Non est aliud, quàm quod in hac vita patimur. Illud verò post hanc vitam ex sacris literis confirmari non potest. Sed est superstitio

ex Gentilismo in Christianismum ascita: quæ ex Virgilio & Platone videtur deriuata. Plato in Phædone affirmat animas apud inferos purgari,& esse quædã ἰάσιμα ἁμαρτήματα, quæ certo temporis spatio deleri possit in palude Acherusia, intercessione etiam eorum, in quos illi peccauerunt in vita. Qui verò videntur ἀνιάτως ἔχειν διὰ τὰ μεγέθη τῶν ἁμαρτημάτων, τούτους ἡ προσήκουσα μοῖρα ῥίπτει εἰς τὸν τάρταρον, ὅθεν οὔποτε ἐκβαίνουσιν. Et lib. 2. Politic. affirmat esse τελετάς, αἳ τῶν ἐκεῖ κακῶν ἀπολύουσι ἡμᾶς. Et lib. 2. Politi. pœnas decernit,& quomodo ac quando ab his tandem liberentur.

Cur est excogitatum purgatorium?

Gentes confinxerunt ad terrẽdos homines, & coercẽdos à sceleribus. Christiani hoc prætextu abusi sunt ad quæstum. Viderunt enim rem esse lucrosam, si persuaderent hominibus post hanc vitam quædam deleri peccata posse intercessionibus & precibus viuorum pro defunctis. Et quia ex inferno nõ est liberatio, instituerunt homines astuti ignem purgatoriũ, qui extingui posset precibus & intercessione aliorum pecunia redemptis.

Hinc λύσεις καὶ καθαρμοὶ animarum ex purgatorio magno applausu excipiuntur & audiũtur quotidie.

Vnde confirmant illud?

Non

Non habent directa testimonia. Quarē ex consequenti hoc conantur probare.

Primùm Lazari historiam, & diuitis, Luc. 16.17. quidam purgatorio accommodant. Verùm cùm diues nihil impetrat, nec pro se, nec pro fratribus, satis ostendit locus pœnas post hanc vitā insolubiles esse. Minus ad eius defensionem facit historia alterius Lazari, Ioā. 11. 1.

Quid ad locum Matth. 5. 26. Nō exibis, donec solueris vltimum quadrantem.

℞ Nego consequentiam. Nā illis probandum est hîc loqui Christum de purgatorio, quod nō possunt. Deinde in eo falsa est collectio, quòd colligunt: Ergo aliqui hinc exibunt, qui scilicet quadrantem vltimum soluerint. Loquitur autē Christus de recōciliatione fraterna in hac vita, in qua dum nolumus reconciliari, carcer ille nos manet extra hanc vitam, hoc est æterna damnatio: quem non exibis, donec solueris vltimū quadrantem, hoc est, nunquā. sic enim vox (donec) accipi debet. quod confirmat ratio, Nūquā sunt soluēdo: Ergo: nunquā inde exibunt.

Quid ad locum Mat. 12. 32. de peccato in Spiritum sanctum, quod nec hic nec in futuro seculo remittitur: Ergo quædam hîc, quædam illic remittuntur.

Primùm locus nō confirmat purgatorium: quia in purgatorio aiunt deleri pœnas: culpam autem in hac vita remitti. At Christus illic

loquitur de culpa peccati, non de pœna: Ergo ad purgatorium nihil facit.

Deinde falsa est collectio: Christus enim ostendit peccatum esse quoddam, quod nunquam remittitur: aliud esse quod hîc tantùm remittitur. Probent illi tertium, ergo quædam illic remittuntur, quod falsum est. Absurdum enim est argumentum: quædam peccata post hanc vitam non remittuntur: ergo quædam post hanc vitam remittuntur: sed esse remissionem quorundam in hac vita inferri potest.

5. *Quid ad locum 1. Cor. 3. 13. Cuiusque opus quale sit, ignis probabit?*

& Ignis apud Apostolum potest esse afflictio & crux per quam Dominus suos examinat. Sic enim Chrysostomus & Augustinus locum hûc intelligunt. Alii per ignem hunc, intelligunt examen Spiritus sancti. Quod autem ad purgatorium hic ignis nihil faciat, ex verbis Apostoli ostendi potest, qui dicit ἑκάστου ἔργον, quale sit ignis probabit: at Apostolorum & Prophetarum opera purgatorius ignis non probabit: Ergo de alio quàm purgatorii igne loquitur Apostolus.

6. *At veteres sic crediderunt, & antiqua est illa opinio.*

Bedam, Gregorium, Ambrosium, aliósque citant huius ignis defensores. Sed eis opponi potest Orientalis Ecclesia, quæ semper repudiauit

Non esse purgatorium .. I.

diauit hoc dogma vſque ad Eugeniũ quartũ, ſub quo vix tãdem ſubſcripſere: ſed ab eo tem pore ſtatim capta eſt à Turcis Conſtantinopo-lis,& euerſum Imperium in Oriente. Chryſoſtomus in cap.12.Mat.ſic de ea re loquitur, Omnium hominum alii & hîc & illic ſupplicia dabunt. Alii in præſenti tantùm vita: alii in futura tantùm. Hîc & illic Sodomitæ. In hac tantùm fornicator Corinthius. Illic tantùm vt diues in inferno. Cyprianus Tract.1.contra Demetriadem, Quando hinc exceſſum fuerit, nullus iam locus pœnitentiæ eſt, nullus ſatisfactionis effectus. Hîc vita amittitur, aut tenetur: hîc ſaluti æternæ cultu Dei,& fructu fidei prouidetur. Et Chryſoſt. Veniet enim hora, quando theatrum vitæ huius ſoluetur, & nullus poſtea certabit. Non eſt poſt huius vitæ finem negotiatio.

Poteſtne etiam ratione euerti hic ignis?

Poteſt. Christus inquit, Non exibis, donec ſoluas vltimum quadrantem. Vbi ſoluendum eſt, non prodeſt interceſſio,& preces nihil efficiunt: atqui ſolutio exigitur: Ergo preces tolluntur & interceſſio.

Deinde ſi pœnis animæ poſſent purgari, tũ maximæ pœnæ maximè purgarent: at hoc falſum eſt. Nã inferni pœnæ cùm ſint maximæ, tamen non expiant nec purgant: Ergo nec leuioribus pœnis animæ poſt hanc vitam pur-

gari poſſunt.

7. Tertiò, Omnes fideles hinc migrant rectà in vitam æternam, nec veniunt in vllum iudicium: at purgatorium iudicium eſt: Ergo in illud nemo venit. Ioã. 5. 24 Qui credit ei qui miſit me, habet vitam æternam, & in iudicium nõ veniet: Qui autem non credit, iam condemnatus eſt: Ergo nullus eſt medius locus inter vitam æ ternam & damnationem, &c.

Ex tertia claſſe locorum aliarum ſectarum noſtri temporis, loci aliquot.

DE VBIQVITATE, LOcus primus.

Quid vocant Vbiquitatem?

VBique præſentiam carnis cum verbo. Λόγος enim ſumpſit humanam naturam in vnionem perſonalem, nullis (vt loquũtur) locorum ſpaciis ſeparandam.

Quomodo eſt vbique Chriſtus?

Secundùm Diuinitatem, ſicut dicit Auguſt. Chriſtum vbique totum præſentem eſſe non dubites tanquam Deum: & in eodem templo Dei eſſe tanquam inhabitantem Deum: in loco aliquo cœli, propter veri corporis modum. Epiſt. 57.

Quare ſecundùm humanitatem non vbique eſſe dicendus eſt?

Quia

Quia veritas corporis humani nõ fert illam vbiquitatem, cui immortalitatem quidem dedit, sed naturam non abstulit. Cùm autem credamus veram humanã in Christo naturam manere: consequitur corpus Christi non esse vbique, sed manere περιγραπτὸν. Augu. epist. 57.

Deinde Angeli de Christi resuscitato corpore, manifestè dicunt, Non est hîc: Ergo vbique non erat, Matth. 28. 6.

3. Item ascendit ad cœlos: quem articulũ veteres omnes de loco certo intelligunt: Ergo vbique non est.

4. Item me non semper habebitis, Matt. 26. 11. de corporali absentia intelligitur: cùm vt Deum, sint Christum semper habituri.

5. Repugnat illa sentẽtia articulo fidei, quo credimus Christum venturum ex cœlo, quò ascendit, Iudicem viuorum & mortuorum. Nemo autem venire dicitur in illa loca, in quibus iam est: sed in illa à quibus absumus antequam veniamus. Vide August. epist. 57. in qua eleganter inter cætera inquit, Cauendum est, ne ita astruamus diuinitatem hominis, vt veritatem corporis auferamus.

Quid respondes illorum rationibus?

Ἀσυλλόγιστα adferunt multa & quædam etiam ἀσύστατα.

Diuinitas Christi est vbique: igitur & humanitas vbique esse debet. Cõsequens probãt à Obiic. 1.

personali vnione diuinæ & humanæ naturæ qua effici putāt, vt vel λόγος cum carne contineatur loco: vel caro cum verbo vbique sit.

Sed hoc argumentum iam pridē soluit Augustinus, epist. 57. Vna persona Deus & homo est, & vtrunque est vnus Christus Iesus, vbiq. per id quod Deus est: in cœlo autem per id quod homo. Deinde non est consequens, vt id quod in Deo est, ita sit vbique vt Deus. Non enim sic extēditur humanitas vt diuinitas, nec id derogat personali vnioni.

2. *2. Sed obÿciunt, Non est Emanuel Christus nisi vbique corpus humanum esse debuerit.*

Esa. 7. 14. Non concludit argumentum. Christus est Emanuel: Ergo vbique est diffusa humanitas, cùm alia sit ratio huius appellationis. Emanuel dicitur Christus, quia in illo nobis reconciliatus est Deus, & quia non Angeli, sed hominis assumpsit naturam, per quam nos Deo consociauit, & ad dextram Dei carnem nostram exaltauit. Non autem vt ob id vbique esset.

3. *3. Quæcūq. Pater facit, eadē quoque Filius facit: sed Pater præsens gubernat omnia: Ergo Filius quoque. Dedit. n. Pater Regnum Filio.*

Nihil illa concludunt de corporali præsentia & vbiquitate, cùm sit illa φυλακτικὴ, qua Christus etiam omnibus rebus conditis adest vt Deus. Præterea vt saluator fidelibus singulariter

lariter adest vt Redemptor, quos suo tuetur spiritu, & in omnem veritatem gubernat.

4. *Humana natura capax est diuinæ, salua sua essentia: Ergo etiam capax est omnipræsentiæ.*

Verum est argumentũ, nec quicquã absurdi infert in eodẽ sẽsu. Nã diuinitatis est capax: sic omnipræsentiæ, sed diuinitatis ita vt ipsa nõ diuina, sed humana sit: sic omnipræsentiæ, vt ipsa nõ omnipræsẽs, sed alicubi præsẽs existat.

5. *Λόγος est omnipræsens: Caro Christi est capax λόγου: Ergo est etiam omnipræsens.*

Malè conclusio infertur: sic autẽ colligi debet: Ergo caro Christi est capax omnipræsentiæ, quod verum est. Vt enim capit λόγον sic, vt intereà caro Christi non sit λόγος: sic capit omnipræsentiam, vt intereà caro non sit vbiq. Sic homo capit visum, & ipsam mentẽ, quæ vbique discurrit, vt tamen homo non sit corporaliter, vbi mente vagatur.

6. *Finitum capit infinitum, vt humanitas diuinitatem: Ergo vbiquitatem quoque.*

Finitum, quatenus finitum est, non capit infinitum, si magnitudines respicias. In qualitatibus autem & potentiis finitum infinitum capere potest: Sic hominis mens Deum capit, finita potentia, infinitam. Nõ sequitur autem, vt eodem pacto extendatur, vt vbique sit mẽs hominis, vbi Deus est. Sic vnitur diuinitas naturæ: vtraq. interim retinet suas proprietates.

Nec huc pertinet, Zelus Domini zebaoth fecit.

7 *7. Homo Christus est omnipræsens, alioqui soli Christo non competit illud, Verbum caro factum est.*

Nego consequens. Nam vera est illa sententia, λόγος σὰρξ ἐγένετο, Verbum caro factum est: quia λόγος de solo Filio Dei intelligitur, nec vllis creaturis hic tribui potest. Carnem autem fieri, hominis quoque est: sed hoc pacto solius Christi est sine peccato, sine semine viri, vt duas naturas diuersas humanã & diuinã vnione personali copulare in vnum Christum Iesum, Dei Filium.

8 *8. Obijciunt locum Cyrilli, Verbum humanitati iunctum, totum in seipsum ita reduxit, vt indigentia vitæ possit viuificare.*

Nihil absurdi dicit Cyrillus, & hãc opinionem minimè confirmat: nã diuinitati vel Verbo totum hoc tribuit, non humanitati. Deinde de tota persona intelligit vim illam viuificandi illa quæ vita indigent. Sic enim Mediator est. Sed quid illa ad Vbiquitatem?

Reliqua argumẽta leuiora sũt, vt quod dicũt.

9 *9. Nomen Christi supra omne nomen esse, ac nomina habere res ipsas.*

10 *10. Item quòd Christo datus sit Spiritus nõ ad mensuram.*

11. Item quòd omnes thesauri sapientiæ & scientiæ in eo sint reconditi.

12. Item remittere peccatum esse infinitæ potentiæ.

13. Et quia omnipotens sit homo Christus: Ergo etiam omnipræsens. Quæ nihil attinet prolixiùs confutare.

Responsum est ad hæc satis iam à multis. Ac miraculum est, cùm præsentiam hanc non localem, non corporalem asserant, sed quæ incarnationi Domini nostri Iesu Christi competit, & quam exigit vnio naturæ humanæ & diuinæ, quomodo seipsos non euertant. De corporali disserunt omnipræsentia, & corpori negant locum, sed & corporalem præsentiam.

LOCVS SECVNDVS, DE Mediatore Christo.

Quid significat vox Mediatoris?

Significat officium personæ Christi, quod inter dissidentes duas partes obire debet. Dissidẽtes partes sunt Deus, & humanum genus: has partes Christus reconciliare debuit, vt homo Deo suo restitueretur, & Deus homini placaretur.

Quomodo Christus est Mediator?

Veteres quosdam referunt, qui Christum dicerent Mediatorem esse solùm secũdùm humanitatem: in qua sententia sunt ferè omnes scholastici doctores, vt est Magister sententiarum.3.distinct.19.Thomas Aquinas Bonauentura, & compilator Gab.Biel. Hodie quoque renouatur hoc dogma à quibusdam contentionis magis studio, quàm ædificatiõis fructu. Nos hanc veram statuimus esse sententiam, Christum Mediatorem esse secundùm vtranque naturam, humanam scilicet, & diuinam.

Ostende igitur, quomodo Christus sit Mediator secundùm vtranque naturam?

1. Primùm, Scriptura loquens de Mediatore
Christo totam nobis personam proponit, diui-
na & humana natura constantem. Sic Eph.1.4.
2. In Christo nos electos dicit, antequam iaceren-
tur fundamenta mundi: quæ non ad solum ho-
minem Christum possunt referri. Et 1. Cor.1.
3. 30. Christus factus à Deo nobis sapientia, iusti-
tia, sanctificatio, redemptio, &c. Roman. 3.25.
4. Quem proposuit reconciliatorem, per fidem
in illius sanguine. Personam Christi mediatri-
cem constituit, proprietate humanitatis assi-
5. gnata. Sic Rom. 5. 8. Christus pro nobis mor-
6. tuus est Rom.8.34. Pro nobis intercedit. Heb.
7. 7.25. Semper viuens in hoc: vt intercedat pro
8. illis. Heb.9.24. Apparet in conspectu Dei pro
nobis, &c.

Deinde

Deinde Christus Mediator vt Deus inuocatur, non solùm vt homo. Secundùm vtramque igitur naturam Mediator est, alioquin inuocatio per Filium Dei apud Patrem erraret.

Tertiò, Christus ipse, vt Mediatorem se secundùm vtranque naturam mundo proponit. Matt. 11. 28. Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, &c. vox est Mediatoris καὶ εἰρηνοποιοῦ, qui nobis totam suam personam recõciliatricem promittit. Et Ioan. 16. 23. Quæcunque petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis: expressè diuinam naturam includit inuocatione & officio mediationis. Non enim in nomine Christi hominis solùm inuocari vult.

4. Et vox Patris Mediatorem Filium suum proponit mũdo, Hic est Filius meus dilectus, ἐν ᾧ εὐδόκησα, Mar. 1. 11. Luc. 3. 22 Mat. 3. 17. & 17. 5. additur mandatum, Ipsum audite. Ita Luc. 9. 35. In quibus manifestè Christus Dei Filius μεσίτης proponitur, in quo Deo reconciliatus est mundus.

Da eiusdem rei testimonia ex Patribus?

Cyrilli est illustris locus lib. 12. Thesauri, cap. 10. Mediator Dei & hominum Iesus Christus est 1. Tim. 2. 5. Non solùm quia reconciliauit homines Deo: sed etiam quia naturaliter & substantialiter, & Deus & homo in vna hypostasi est. Hoc enim modo naturam nostram

ſibi Deus reconciliauit. Nam aliter, quomodo vnum Mediatorem Chriſtum Paulus dixiſſet? Et mox idem ſubiicit, Sed modũ quoque perſtringere non alienũ eſt. Quòd igitur quædam ſibi ſicut medium coniungit, ab vtroque neceſſariò tangitur: & hoc modo diuerſa per medium coniunguntur. Eſt autẽ Chriſtus Mediator Dei & hominum, quia in eo vno, Deus & homo coniunguntur. Non eſt tamen ipſe aliquid tertium præter Deum & hominem, ſed verè Deus & verè homo. Ipſe enim eſt pax noſtra.

Iuſtinus Martyr T.3.fol.16.

Chriſti duas naturas in vna perſona non diuidit, ſed ſimpliciter redemptionis & mediationis munus perſonæ tribuit. Quatenus homo, inquit, cùm ſine crimine vitam innocenter egit, tum volũtariam ſubiit mortem, &c. Quatenus verò Deus, & quod ſolutum erat reſtituit, & mortem ipſam prorſus ſoluit.

Epiphanius fol.433.in Græco.

Συνῆν γὰρ καὶ ἡ θειότης καὶ ἡ ἐνανθρώπησις ὅτε ἐπὶ τῷ σταυρῷ ἔπασχε μὲν Χριστὸς σαρκί· ἀπαθὴς δὲ ἔμεινε θειότητι ἵνα τὴν δικαίωσιν μηκέτι ἐν σαρκὶ μόνον ἔχωμεν, ἀλλὰ ἐν τῇ θειότητι καὶ ἵνα ἐν τῇ θειότητι καὶ ἐν τῇ σαρκὶ κατ' ἀμφοῖν ἡμῖν σωτηρία γένηται. Id eſt, Simul enim erat & diuinitas & humanitas, quando in cruce paſſus eſt Chriſtus in carne:

in carne: impatibilis autem mansit diuinitate: vt iustitiam non ampliùs solùm in carne haberemus, sed etiã in diuinitate: & vt in diuinitate & in carne secundùm vtrunque nobis salus efficeretur.

Augustinus T.1.fol.184.

Mediator Dei & hominum, quia Deus cum Patre, homo cum hominibus. Non mediator homo præter Deitatem. Non mediator Deus præter humanitatem. Ecce mediator, Diuinitas sine humanitate non est mediatrix: Humanitas sine diuinitate non est mediatrix. Sed inter diuinitatem solam, & humanitatem solam, mediatrix & humana diuinitas, & diuina humanitas Christi, &c. *Lib. 1. confes. cap. 42. & in Homil. de omb. Christi. cap. 12.*

Ambrosius 1. Tim. 2.5.

Vt mediator esset Dei & hominum, homo Christus Iesus, id est, non sine diuinitate, quia in Deo homo erat, & Deus in homine, vt ex vtroque esset mediator, & vtrunque reconciliaret in primum hoc fecit, &c.

RESPONDE AD ILLORUM ARGUMENTA.

1. Nullus dißidẽtium potest esse mediator: sed Christus secundùm diuinitatem est altera pars dißidentium: Ergo secundùm diuinitatem Christus non potest esse mediator. *obj. 1.*

Respond. ad singula membra: Maior vera

est,addito προσκατηγορουμένῳ, scilicet quatenus offensus est,& offensam retinet implacabiliter. Interea potest offensa persona de iure suo cedere,& mitigationem iuris promouere, & æquali personæ similiter offensæ pro offendente inferiori satisfacere.

Minor iam facilè solui potest. Christus secundùm diuinitatem est quidem altera dissidentium pars, quia vnus & idem cum Deo Patre & Spiritu sancto Deus est. Sed ob id λόγος est,& non Pater, vt esset μεσίτης. Ideóque de iure suo cedit,& partes nostras adiuuat apud Deum Patrem, satisfaciendo, & intercedendo. Nec fingenda est tota Trinitas sic implacabilis, vt nolit nostras adiuuare & promouere partes. Quare sic conclude:

Nullus dissidentium potest esse Mediator, quatenus offensus est,& offensam implacabiliter retinet: sed Christus secundùm diuinitatē est offensus cum Deo Patre, & Spiritu sancto: Offensam autem implacabiliter non retinet Trinitas ἐν τῷ λόγῳ: Ergo Christus secundùm Diuinitatem etiam potest esse Mediator apud Deum Patrem, vt interea maneat æqualis & ὁμοούσιος Deo Patri & Spiritu sancto.

SECVNDVM ARGVmentum.

2. Opera Trinitatis sunt indiuisa ad extra:

Saluatio

Saluatio est opus Trinitatis: Ergo est indiuisa ad extra, hoc est, ad totam Trinitatem æqualiter pertinet.

Maior vera est, si retineatur personarũ proprietas. Minor, saluatio est opus Trinitatis: sed certo ordine Pater saluat, scilicet per Filium quem posuit Mediatorem. Ideóque mediatio ad Filium spectat, non ad Patrem, quamuis tota Trinitas negotium salutis nostræ perficiat.

TERTIVM ARGVMENTVM.

3. Christus secundùm Diuinitatẽ non fuit mediator ante incarnationem: Ergo nec post incarnationem. 3.

Respond. Christus vt ab æterno Filius Dei genitus est à Patre Deo: sic ab æterno ordinatus est mediator. Ideóq. mediatoris officium semper ad λόγον pertinuit & non ad Patrem, vel Spiritum sanctũ. Eph. 1. Elegit nos in ipso antequam iacerentur fundamenta mundi. Iesus Christus heri & hodie: idem est etiam in secula, Heb. 13. Patefactio autem mediatoris in tempore facta est, ab hinc 1570. anno: ideóque ante incarnationem nondum fuit mundo patefactus mediator, quem in carne postea viderũt homines. Tamẽ officiũ mediationis & patefactionis ad personã λόγου pertinebat. Hinc Paul. Patres in deserto bibisse de Petra spirituali. Petra autẽ fuit Christus 1. Cor. 10, &c.

QVARTVM ARGVmentum.

4 *4. Obiicitur locus 1. Timot. 2. 4. Vnus Deus & vnus Mediator Dei & hominum, homo Iesus Christus.*

Respond. De persona loquitur Apostolus, ideóque Iesum Christum nominat tanquam integram personam. Quod autẽ addit, Homo Iesus Christus, loquitur de persona Christi patefacta mundo, & qualis ab hominibus agnoscebatur, vt verus scilicet homo. Interea non voluit excludere diuinitatem: nec admittenda est explicatio illa, Christus homo est Mediator, hoc est, secundùm humanitatem tantùm. Sed Christus homo Mediator est, hoc est, illa persona quæ verè homo est, & Filius æterni Patris: illa, inquam, persona Mediator est Dei & hominum. Vide Cyril. lib. Thesauri 12. cap. 10. & Ambrosium in hunc locum.

QVINTVM ARGVMENTVM.

5. *5. Si Christus secundùm diuinitatem est Mediator: Ergo tota diuinitas erit mediatrix. Quod est absurdum. Apud nullum enim mediare potest.*

Respond. Opus salutis ad totã Trinitatem pertinet: sed cùm loquimur de mediatione & mediatore, intelligimus officium τοῦ λόγου. Et vera

vera esset collectio: Si tota Trinitas esset vna persona, ita non posset fieri mediatio: Nemo enim apud se pro altero intercedit, nec sibi offert, nec sui est deprecator & mediator. Sed cùm tres sint personæ indiuisæ Trinitatis, facilè potest intelligi personam Filii Dei, vtpote missam à Deo Patre in hunc mundum, mediare & deprecari pro nobis apud Deum Patrem, quæ persona non est Filii, interea manẽt consubstantiales, æquales gloria & potentia.

LOCVS TERTIVS, de Trinitate.

Quid significat Trinitas?

Græci Τριάδα appellarunt, qua voce expresserunt tres in diuinitate personas consubstantiales, non confusas, seruata substantiæ vnitate. Inducta fuit pridem à Patribus Niceni concilii, qui postea cum Athanasio Alexãdriæ congregati fuere cõtra nouos motus Arrianorum, vt est in hist. Tripar. lib. 6 c. 20. fol. 422.

Non significat igitur abstractum numerum, vt μονὰς καὶ δυὰς, sed exprimit personas tres vnius substantiæ. Græci dicunt Triadem hîc significare ὕπαρξιν, hoc est, rem subsistentem per se, & concretum. Et quia mysterium est à mũdo absconditũ, appellarunt τριάδα, ὑπεράριθμον, ὕπαρξιν.

Quid est substantia in Trinitate?

Οὐσία est substantia, hoc est, natura diuin[a]
& ipsa diuinitas, aut essentia diuina. In summ[a]
quicquid commune est tribus personis, id no-
mine οὐσίας Græci expresserunt, Latini substan-
tiam & essentiam vocant. Augustinus tamen
cēset rectius essentiam dici Latinis, lib. 7. cap.
5. de Trinit. Sed tamen, inquit, siue essentia di-
catur quòd abusiuè, vtrumque ad se dicitur, nō
relatiuè ad aliquid. Et lib. 5. cap. 8. Essentiam
dico, quæ οὐσία Græcis dicitur, μίαν οὐσίαν τρεῖς
ὑποστάσεις, quod est Latinè, vnam essentiam,
tres substantias.

Quid est persona in Diuinitate?

Personam Latini vocant, quod Græci ὑπό-
στασιν, hoc est, subsistentiam. Augustinus οὐσίαν
essentiam vocat: & ὑπόστασιν substantiam. Iu-
stinus Martyr ὕπαρξιν & ὑφιστάμενον, hoc est,
personam distinctam ab illis incertis proprie-
tatibus.

Quomodo igitur vnus est & trinus Deus?

Vnus est essentia, hoc est, natura, diuinitate,
οὐσία, & quicquid naturæ diuinæ proprium, id
vnum & simplex est. Sic vna est potentia, vna
maiestas, vna æternitas. Damascenus μία οὐσία
μία φύσις μία θεότης.

Trinus verò est respectu personarū, sic tres
sunt ὑποστάσεις, vna verò οὐσία, tres personæ,
vna autem essentia. Pater enim ὑπόστασις est:
Filius ὑπόστασις est: & Spiritus sanctus ὑπό-
στασις

ςασις est, hoc est, persona. Tria sunt ὑφιςά-μενα, tres ὑπάρξεις, tres personæ tres ὑποςάσεις idem significant. Vna οὐσία, vna natura, vna Diuinitas, vna essentia, idem etiam significant in hac quæstione.

Cur distinctio non in essentia, sed in personis solùm admitti debet?

1. Quia diuina natura, hoc est, essentia, ita simplex, perfectum & absolutum est quiddã, vt nullam admittat separationem aut diuisionem, quæ imperfectionis est comes.

Deinde quia diuisio naturæ induceret plures deos, quod absurdum est. Vnum enim est tantùm infinitum: & est impossibile plura esse infinita præter vnum. Ita solùs Pater esset infinitus: Filius autem & Spiritus sanctus non: & ob id nec Deus quidem. Aut simul infiniti: & ita plura infinita. Quod natura ferre nõ potest.

Tertiò, nõ posset ad vnam primam causam resolutio fieri. Oportet enim quod primũ est, vnum esse: Deus sua natura & essentia primus est: Ergo & vnus essentia.

Quartò, Deus ita se patefecit. Deuter. 6. 4. Audi Israel, Deus tuus, Dominus vnus est. 1. Cor. 8. 6. Nobis Deus vnus est. Gal. 3. 20. Deus vnus est. Eph. 4. 6. Vnus Deus & Pater omniũ. 1. Tim. 2. 5. Vnus Deus, vnus conciliator Dei & hominum. Testimonia illa loquuntur de vnitate diuinæ naturæ & essentiæ. Patefecit au-

tem se idem Deus trinū. Matt.3. 16.in Baptismo Christi Pater loquitur cœlitus, coram est Filius Christus: & descendit Spiritus S. in specie columbæ. Sic Mat.28.19. in institutione Baptismi, iubentur baptizare in nomine Patris, Filii, & Spiritus sancti. Ioan. 1. Epist.5.7. Tres sunt in cœlo qui testimonium dant: Pater, λόγος, & Spiritus sanctus: & hi tres vnum sunt.

Quæ ergo vera est sentētia in hac quæstione?

Tres personas esse in vna diuina essentia, & vt Græci dicunt, τρεῖς ὑποστάσεις ἐν μίᾳ οὐσίᾳ. Ita Symbolum Apost. hactenus intellexit Ecclesia Christi, Credo in Deum, Patrē scilicet, Filium, & Spiritum sanctum, hoc est, vnum Deū natura, Trinum verò personarum respectu. Et Symbolum Nicenū adiecit vocem ὁμοούσιον, vt vnitatem naturæ indiuisam trium personarū exprimeret. Et Athanasii symbolū, rectè Patrem, Filium, & Spiritum sanctum nō tres, sed vnum Deum vocat: non cōfundentes ὑποστάσεις, nec separantes οὐσίαν. Et in hac Trinitate nihil prius aut posterius, nihil maius aut minus: sed totæ tres personæ coæternæ sibi sunt & coæquales: ita vt per omnia & Trinitas in vnitate, & vnitas in Trinitate veneranda sit.

LOCVS QVARTVS DE communicatione Idiomάτων.

Quid vocant communicationem Idiomάτων?

Vocant

Vocant κοινωνίαν τῶν ἰδιωμάτων: alii ἰδιοποιΐαν καὶ κοινοποιΐαν ἰδιωμάτων: alii ἀντίδοσιν, hoc est, mutuam largitionem & ἀλλοίωσιν, hoc est, alternationem vocant.

Quid est communicatio idiomatων?

Est phrasis, in qua proprietas, quæ vni naturæ conuenit, dicitur de persona Christi in concreto, hoc est, quando vni naturæ impropriè tribuitur, quod alterius est proprium in persona Christi.

Quæ sunt idiomata, hoc est, proprietates humanæ naturæ in Christo?

Nasci, adolescere, flere, dolere, dormire, pati, sitire, esurire, horrere mortem, crucifigi, mori, vulnera in corpore gestare, sepeliri. Hæc & similia conueniunt propriè nō diuinæ naturæ, sed humanæ in Christo.

Quæ sunt proprietates seu idiomata diuinæ naturæ in Christo?

In principio fuisse cum Deo, & apud Deum, assumere carnem seu humanam naturam, impatibilem esse, omnipotentem esse, eadem cum Patre opera facere, ante Abrahamum esse, in cœlo fuisse ante incarnationem.

Quomodo iam vnius naturæ idiomata communicantur alteri naturæ?

Primùm. Scriptura interdū humanæ naturæ idiomata tribuit diuinæ. Sic Act. 20. 28. Paulus ait ad Ephesinæ Ecclesiæ Presbyteros, At-

tendite vobis & vniuerso gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos, ad regendum Ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo. Sanguinem habere non diuinæ est naturæ, sed humanæ: tamē diuinæ tribuitur. Eadem phrasi dicimus, Deus natus est, crucifixus est, mortuus est pro nobis, &c.

2. Secundò, idiomata diuinæ naturæ tribuuntur interdum humanæ: vt Ioan. 3. 13. Nemo ascendit in cœlū, nisi qui descendit de cœlo Filius hominis, qui est in cœlo. Filius hominis vtique non erat in cœlo homo Christus ante incarnationem, sed diuinæ erant illa propria.

3. Tertiò, interdum distinctè de certa natura Scriptura loquitur: vt Rom. 1. 3. Christus natus ex semine Dauid secundùm carnem. 1. Pet. 4. 1. Christus passus est carne. Rom. 9. 5. Ex quibus est Christus secundùm carnē. & Act. 2. Secundùm carnem, κατὰ σάρκα ἀναστῆναι τὸν Χριστόν.

λόγος σαρκωθείς

Ad quid prodest hæc doctrina?

Primùm prodest ad id, ne in Christo confundamus naturas. Dum enim vtriusque seruamus idiomata, toti personæ tribuitur rectè vnius naturæ proprietas, propter personalem vnionem. Sic Christus passus est, & mortuus, quia verè homo est. Immortalis autem & ἀπαθὴς idem, quia idem verè Deus est. Sic D. Hieron. ad Damasum scribens ait, Secundùm illud passus est, quod pati poterat: non secun-

Σύγχυσις confusio est vitanda in quā incidit Eutyches.

dum

dùm illam ſubſtantiam, quæ aſſumpſit, ſed ſecundùm illam quæ aſſumpta eſt. Et Athanaſius, cùm non poſſet mori ipſe λόγος, corpus quod mori poſſet ſibi aſſumpſit.

Secundò, prodeſt hæc doctrina ne diuellamus perſonam Christi in duas, & alium putemus Filium Dei eſſe τὸν λόγον, & alium Filium hominis. Sed in vna & eadem perſona Chriſti duas agnoſcamus naturas non confuſas. *Διαίρεσις vitanda contra Neſtorium.*

Vbi locum habet illa communicatio?

Scholaſtici dicunt, Communicatio locum habet in concreto, non abſtracto, hoc eſt, proprietates naturarum in Chriſti perſona, de Chriſto valent non in abſtracto. Sic Chriſtus eſt paſſus, quia idem verè homo fuit. Chriſtus ab æterno fuit, quia idem verè Deus eſt.

In abſtracto autem non fit communicatio idiomatων. Hinc reiiciendæ ſunt phraſes, Diuinitas eſt mortua, ſepulta, &c. Sed in concreto rectè dicitur, Deus eſt paſſus, mortuus, &c. hoc eſt, perſona illa Chriſtus, qui verè Deus & homo eſt.

Quæ ſunt idiomata perſonæ Chriſti?

Officia Chriſti mediatoris: Qualia ſunt. 1. intercedere. 2. orare. 3. offerre mundã hoſtiam, redimere, &c. Quæ non debent ſeorſim ad hãc vel illam naturam referri: ſed ad perſonam totam. Hinc illa apud Scholaſticos regula: non miſcenda officii & naturæ propria.

Officium est redimere, totúmq. redemptionis mysteriũ, propter quod officiũ vnio naturarũ est facta. Ideóq. orare, intercedere, & offerre mundam hostiam ad totam Christi personam est referendum, non ad humanam naturã solũ.

Docéntne ita veteres?

Maximè: imprimis verò cõtra hæreses quæ confundebant duas naturas in Christo, quemadmodum Eutyches, qui ex duabus naturis vnam effectam esse docuit quadam συγχύσει. Aut contra eos, qui personas duas cõstituere, qualis est Nestorii hæresis, διαιρέσει duas in Christo personas fingens.

Contrà, vera est doctrina Ecclesiæ Christi Vnam personam Christi duas complecti naturas, disiunctis proprietatibus, quæ per communicationem de persona Christi dicuntur.

Cyrillus in cap. 3. Ioan. Quomodo enim aliter quæ soli verbo Dei conueniunt, virginis Filio accommodari poterunt? Quomodo autem è conuerso, quæ soli carni conueniunt, verbo Dei attribuuntur? Nunc enim de coelo Filium hominis descendisse ait: passionis verò tempore, ipse Filius Dei, tanquam ipse patiens, quæ humanitati suæ solummodo congrua sunt, timuisse scribitur.

Irenæus, Ὥσπερ γὰρ ἦν ἄνθρωπος ἵνα πειρασθῇ, οὕτω καὶ λόγος ἵνα δοξασθῇ, ἡσυχάζοντος μὲν τοῦ λόγου ἐν τῷ πειράζεσθαι καὶ σταυροῦσθαι καὶ ἀποθνήσκειν, συγγινομένῳ δὲ τῷ ἀνθρώπῳ ἐν τῷ νικᾷν καὶ ὑπομένειν

μένειν καὶ χρηστεύεσθαι, καὶ ἀνίστασθαι, καὶ ἀναλαμβάνεσθαι, id eſt, vt enim homo erat, vt tentaretur, ſic etiam Verbum vt glorificaretur: quieſcente quidem Verbo in tentatione & crucifixione ac morte, aſſiſtendo autem homini in vincendo, ſufferendo, reſurgendo, & aſcendendo in cœlos, vel, dum aſſumeretur.

Damaſcenus libro tertio, cap. 15. Τὰς μὲν γὰρ θεοσημείας ἡ θεότης εἰργάζετο ἀλλ᾽ οὐ δίχα τῆς σαρκός. Τὰ δὲ ταπεινὰ ἡ σάρξ ἀλλ᾽ οὐ χωρὶς τῆς θεότητος. καὶ πασχούσῃ γὰρ τῇ σαρκὶ συνημμένη ἦν ἡ θεότης ἀπαθὴς διαμένουσα, καὶ τὰ πάθη ἐντελοῦσα τὰ σωτήρια: id eſt, Diuina enim ſigna diuinitas operabatur, ſed non ſine carne. Humilia autem operabatur caro, ſed nō ſine diuinitate: nam & patienti carni coniuncta erat diuinitas, permanens impatibilis, & paſſiones perficiens ſalutares.

DE FORMANDIS STVDIIS.

De fine ſtudiorum.

Cap. I.

PRincipio conſtituendum eſt de fine ſtudiorum. Nam cùm finis ſit extremū ad quod referātur omnes actiones: rectè faciemus verſaturi in literis vt ante omnia, certus finis præfixus, nobis ante oculos verſetur. Socrates Platonicus conſtituit dicterium illud Delphicum

γνῶθι σεαυτόν: & ipse Plato obedientiam legũ: Aristotelici virtutem & fœlicitatem: Scholastici pietatem, separantes eam à literis. Vnde factum est vt abierit in hypocrisin, quemadmodum Gentilium eruditio in Sophisticen. Coniungenda erunt igitur hæc duo, vt studiosus cogitet vtrumque hauriendum ex literis, pietatem & eruditionem: vt quiddam ex vtroque mixtum, tolerabile fiat: erudita pietas, seu pia eruditio. Sed præter hunc generalem finẽ quilibet sibi deligat specialem, quo assecuto se tota vita alat & exerceat, vt Theologicam professionem, facultatem dicendi, populum docẽdi, notitiam linguarum. In hoc secundùm præceptum Socraticum studiosos oportet παίζοντας τε καὶ σπουδάζοντας ἀσκῆσαι.

DE ELIGENDIS PRAEceptoribus Cap. II.

FIne cognito & vitæ genere delecto, proxima cura est de præceptoribus. Hanc Quintil. parentibus committit, vt suis quã honestissimum & literatissimum præficiant. De hoc igitur pauca quædam dicemus. Vniuersa studiorum ratio distributa est in duas classes: quarum prior præceptoris seu διδασκάλου est, posterior pertinet ad discipulos τοὺς μαθητάς. De præceptore difficile est constituere, quòd vix cognoscatur qualis sit, & quid possit: nisi iam

receptus.

receptus. Sequendum tamen eſt hoc Quintil. vt ſit eruditus , vel qui ſciat ſe non eſſe eruditum. Tales enim minus intumeſcunt, cedere norunt peritioribus, admoneri patiuntur: alioquin fit vt fiant pertinaces & plagioſi. Oportet igitur talem has habere virtutes. Primò vt ſit ἐπιστήμων, hoc eſt, peritus, & qui intelligat ſua μαθήματα, hoc eſt, præcepta: ne docendo ipſe primùm diſcat. Secundò διδακτικὸς, hoc eſt, qui appoſitè, intelligenter, perſpicuè doceat: id quomodo fiat dicemus infrà de ratione interpretandi. Tertiò, debet eſſe φιλόπονος , & quod peculiariter requiritur, ἀγαπητικὸς τῶν σχολαστικῶν διατριβῶν, qui diligat exercitia ſcholaſtica. Talis ſi contingat, de ſucceſſu ſtudiorum vix poteſt dubitari. Accedunt aliæ etiam vt ſunt, ne ſit πληκτικὸς, ne mordax ſit αὐθάδης, ſibi placẽs, ne etiam ἀνειμένος, remiſſus: denique vt ſit ἔμπειρος τῆς φύσεως τοῦ μαθητοῦ, vt poſſit iudicare de diſcipulorum ingeniis, vt decentia decentibus ingeniis concedat & tribuat.

DE PROBANDIS INGENIIS. Cap. III.

Est aliqua cura præceptori adhibẽda vt exploret ingenia. Sumuntur autẽ notæ indolis plerunque etiam ex corporis lineamẽtis. Nã verum eſt vtplurimum quod Galenus dicit: vt corporis habitus ſequatur animi affectus: ſic li

beralis facies, clara vox, corporis conſtitutio decens, ingreſſus modeſtus, compoſitus veſtitus, indicia ſunt bonæ indolis. Socrates, vt tradit Xenophon, aliter diſcipulos ſuos explorabat. Fit enim frequenter vt in tetrica facie, corpore horrido, lateat optimum ingenium. Adhibebat igitur hæc tria, quò falli non poſſet. Primò an eſſet φιλομαθὴς, ſponte rediret ad audiendum, & magno quodam deſiderio audiret dicentem. Secundò, an eſſet in eo ὀξύνοια facilitas percipiendi dicta. Tertiò, an valeret memoria, quod vocat μνημονικὸν τι, vt audita & ſemel percepta memoria fideli diu retineret. Proinde vtile eſt inſigniores aliquot locos ediſcendos præſcribere, & ſine charta à memoria requirere.

CONDITIONES BONI diſcipuli. Cap. IIII.

SVnt quædam virtutes quas oportet puerũ è domo ad præceptorẽ adferre, eæque ſunt bipartitæ: quædam naturales diuina bonitate inſertæ: quædam cõparatæ educatione domeſtica, in qua multum ſpei poſitũ eſt, vt ad fructum perueniat. Nam fit frequenter vt optima ingenia etiam domeſticis moribus inficiantur. Malas opiniones poſtea & corruptos mores, pertinaciam, inobedientiam, ad præceptorem adferunt: quæ ſi non omnia ſtatim corrigãtur, culpa

culpa ad præceptores deriuatur, cũ reuera parentum negligentia ista contracta sint, & induruerint. Quale traditur etiã de Alexandro Magno, qui domesticis moribus & pædagogi cuiusdam pertinacia infectus, postea Rex factus eosdem mores pertinacissimè retinuit. Naturæ autem dona quæ adferre oportet hæc sunt. Primò habebit εὐφυΐαν, docile ingenium: huius partes sunt, δύναμις φυσικὴ quædam naturæ promptitudo & inclinatio ad quampiam artem, qualis in Cic. fuit ad Oratoriam, & in Demosthene. Secundò, ψυχὴ ἀνδρεικὴ vt animus in discendo sit infractus. Tertiò, ψυχὴ δοξαστικὴ, sagacitas quædam. Quartò, μαθεῖν τὰ εἴδη τῶν λόγων, breuiter artis præcepta concipere, vt sunt in Rhetorica causarum genera, formæ declamationum. His accedunt aliæ, vt est ἀγαπᾶν τὸν διδάσκαλον: sic enim fiet vt gratum sit quicquid proponet, & libenter istud discat. Item vt sit φιλέταιρος, consodalium quoque & contubernii studiosus & amator. Nam cum his erunt studia conferenda, & quod à te neglectum est ab illis repetendum, contentiones etiam cum his in exercitio styli & memoriæ suscipiendæ. Et reuera nullibi discitur fœliciùs quàm in turba. Et Quintil. cùm hanc quæstionem tractat, turbam præfert domesticæ institutioni: quanquam vtile sit hoc etiã, domesticum habere παιδαγωγὸν, quod tamẽ paucis contingit plerunque propter rei dome-

ſticæ penuriam. Erit igitur danda opera vt aliquos ſibi contubernales habeat intimos, cum quibus ſtudia quodammodo ſint communia.

PLATONIS ET GALENI iudicia de puerorum ingeniis.

Cap. V.

SVperioribus addamus quod boni authores de hac re prodiderunt. Galenus in conſtitutione artis medicæ in candidato philoſophiæ hæc ſeptem requirit. Primò, φύσιν ὀξεῖαν, naturam acutam, vel naturæ acumen ad intelligendum facilé. Secundò, ἄσκησιν ἐκ τῆς παιδικῆς, vt à puero in literis enutritus ſit. Tertiò, ἀρίστοις τῶν διδασκάλων ἐπισχεῖν, vt optimis præceptoribus aures adhibuerit. Quartò, φιλοπονώτατον εἶναι laborioſiſſimum oportere eſſe iuuenem, non ſolùm ſcribendo, ediſcendo, ſed etiam lucubrando. Quintò, σπουδὴν ἀληθείας, amorem veritatis. Sextò, μέθοδον καὶ δύναμιν, id eſt, methodum & facultatem verum à falſo diſcernendi. Septimò, ἄσκησιν τῆς μεθόδου. exercitium methodi, vt non ſolùm præcepta ſciat, ſed potius eorum habeat vſum & experientiam. Hoc Galeni iudicium eſt.

Socrates apud Platonem.

Socrates apud Platonem lib. 7. de Republ. vbi pueritiam inſtruit, ſed in Philoſophiæ ſtudioſis requirit. Primò, vt in eis ſit δριμύτης, id eſt,

id est, acumen. φιλομάθησις, studium & ardor discendi. Tertiò, μνήμη, memoria constans. Quartò, φιλοπονία, hoc est, tolerantia molestia rum quæ discendo sunt exantlandæ. Quintò, φιληκοΐα, hoc est, vt libenter & amanter audiat. Sextò, φιλαλήθεια, hoc est, amor veritatis. Apud eundem Platonem in Phædro vbi orator instruitur, bono futuro oratori tribuuntur hæc. Primò, φύσις. Secundo ἐπιστήμη. Tertiò, μελέτη. Quartò ἀδολεσχία, hoc est, ipsa Dialectica quā sic nominat probroso vocabulo vulgo recepto. Quintò μετεωρολογία, hoc est, veri cognitio. Erat & hoc probrosum vocabulum quo, proscindebantur boni Philosophi, tum à vulgo, tum etiam à Sophistis. Vnde Aristophanes irrisurus Socratem, producit eum sic loquentem, Μετεωρῶ καὶ περιφρονῶ τὸν ἥλιον.

DE EXERCITATIONE.

Cap. VI.

SVperest vt de exercitatione dicamus, quæ & ipsa gemina est. Quædam spectant iterū ad διδάσκαλον: quædam ad μαθητήν. Itaque hoc ipsum genus cōstituimus. exercitationem, partes assignabimus, si priùs de fine dixerimus. γυμνασία igitur quoniam est tota in præceptoris posita, & exemplis spectat ad ἐμπειρίαν, hoc est, ad vsum quendam & (sic dicam)

πρᾶξιν præceptorum. Etenim præcepta quantumuis bona & concinna, mortua sunt nisi ipse auditor variis exemplis ea repræsentet. Proinde sæpe cogitandum est vt in eo genere studiorum quouis excellere, perpetuò spectes ad ipsam ἐμπειρίαν. Species igitur exercitationis huius, quod præceptorem spectat, duæ sunt. Lectio, & Repetitio. Ad lectionem pertinet bonorum authorum enarratio: ea talis esse debet, vt primo loco διάνοια τοῦ συγγράμματος seruetur, & dilucida oratione exprimatur. Id fit ad hunc modum. Primò recitandum est argumentum, idque non mutuandũ est, sed ex toto opere à præceptore eruendum. Nunquã enim fœlix erit lectio, nisi id quod legendum est, bis térve antè inspexerit, & obseruarit certos locos, mẽbra, & argumenta. Secundò, ex argumento iudicandũ est de genere, cuius certa species est constituenda. Tertiò cõmemorãdæ partes, quarum singulæ suam peculiarem habent tractationem. Postremò accedendum est ad interpretationem, in qua seruandus est ordo pro ratione auditorum: interdum sequenda Grammaticorum forma: interdum Rhetorum more, aut Dialecticorum tantùm artis annotanda sunt exempla, & præceptorum mõstrandæ formæ. Repetitio ista necessaria est propter multa commoda. Primùm quòd auditores ad hoc ipsum diligentiùs incumbunt priuatæ repetitioni. Secundò, quòd interdum in explicando
se

ſeu quædam omiſſa ſeu non ſatis dilucidè expoſita ſunt, ea repetendo reſumuntur. Tertiò, negligens auditor multa rectiùs intelliget ex repetitione quàm in lectione, vt qui aliud agẽs perceperat.

SECVNDA EXERCITATIOnis diuiſio. Cap. VII.

SEcundo loco exercitatio conſideranda eſt quatenus ſpectat diſcipulum. Et ſic diuidetur ſcilicet in cognitionem præceptorum, & in imitationem. Ad cognitionem ſpectant artes & linguæ. Ad imitationem reducẽdæ ſunt hæ ſpecies ſtylus & commentatio: ad ſtylum pertinent, Epiſtola, & declamatio. In commentatione ſunt argumentum, compoſitio, memoria & recitatio.

DE EPISTOLA. Cap. VIII.

STylus qui dicendi magiſter eſt, præcipuè exercetur in cõpoſitione Epiſtolarum. Eſt autem duplex compoſitio: vna libera & vaga: ea niſi in adultis & aliquo vſque progreſſis admitti non debet. Altera eſt ſtricta ad alicuius ſeu Epiſtolæ ſeu ſententiæ imitationem. Hæc omnium eſt vtiliſſima, præſertim ſi in hoc exercitii genere proponantur, ſi non omnes tamẽ ſelectiores Ciceronis Epiſtolæ. De hac igi

tur ratione imitationis ita ſentiendum eſt. Conſtat ſcriptione & emendatione. Scriptio ſeu compoſitio incipere debet à meditatione argumenti vt commodè in ornatam elocutionem deſinat. Prima igitur cura debet eſſe inuentionis, quò pertinet προδιέλεσθαι, hoc eſt, accurata & diligens argumenti electio. Id quia eſt vel ſimplex vel mixtum, cogitandum eſt diligenter quibus locis vtendum ſit in ſimplici: quibus in mixto. Itaque μίξις quoties incidit apud Ciceronem diligenter exprimenda. Fit autem μίξις ex diuerſitate cauſarum. Interdum exordia deliberatiua ſunt, propoſitio, rationes & conſequentia demonſtratiua ſeu iudiciaria. Eadem tu obſeruabis in argumenti à te propoſiti tractatione. Secundo loco conſideranda eſt τάξις vt ea fiat κατὰ τρόπον, hoc eſt, non ſit coacta ſed ſeruet decorum, accommodata ſit circunſtantiis. In hac primùm eſt generalis partium diſtributio, vt ad numerum Epiſtolæ Cic. tuum etiam argumentum partiaris. Secunda cura poſtea erit vt ſingulis partibus eodem pacto quo Cic. adhibeas ἐνθυμήματα, hoc eſt, argumenta quibus oportet vniuerſam Epiſtolam καταποικίλλειν. Hæc vbi præſtiterint, ſequitur demum elocutio loco tertio. Ea vtetur ſcriptione & calamo, & quæ meditatio concepit ac digeſſit, ea in opus producit & chartæ committet. Huius ſit iſtud præceptum, εἰσποιεῖν τοῖς ὀνόμασιν εὐρύθμως

θμως καὶ μουσικῶς, hoc eſt, curare vt & Latina ſint verba quibus vteris, & vſitata & concinna. Proinde ad hunc locum pertinent præcepta cõcinnitatis & de clauſulis. Atque hæc de priore parte quæ propriè pertinet ad eum cui ſtrictum genus imitationis propoſitum eſt.

Emendatio.

Secunda pars quã diximus emendationem, iterum ad præceptorem ſpectat:cuius ſunt partes, ἀνάγνωσις: ea fit omnium commodiſſimè voce aperta. Secundò ἐπανόρθωσις correctio, litura:huius vnicum eſt præceptum. An quid melius poſſit poni,huc pertinent hæc. Primò, an barbarum ſit, ſub quo comprehendimus inuſitata, impropria, metaphoras, horridas, quæ omnia corrigenda ſunt latinitate verborum.Secundò ecquid deſit ad ſententiam Cic. ſupplendam ſeu æquandam, vt, an membra membris reſpondeant, an periodi pares numero obſeruatæ ſint. Breuiores corriguntur προσθέσει. Longiores ἀφαιρέσει. Tertiò ecquid ſit πλεονάζων huc pertinent circunductiones intẽpeſtiuæ, commorationes, ineptæ repetitiones, crebra commoratio eiuſdem ſeu vocabuli ſeu ſententiæ: ea omnia ἀφαιρέσει taxanda & eluenda ſunt. Quartò ecquid ſuo loco poſitum: id conſiderari debet tum in verbis, tum in ſententiis. Verba quidem Latina interdum

essent si meliùs collocata, vt fit in hyperbatis. Ita sententiæ suum locum requirunt: propositio rationes antecedit: contrà si præmittantur rationes propositioni, vitiosam facit collocationem: hæc corriguntur μεταθέσει transpositione. Quintò, num quid sit positum deterius: aliquādo enim metaphora melior foret quàm proprium vocabulum positum. In hac re opus erit copia vt non statim incidens verbum ponatur, sed discurrat iudicium ad plura, & quod ratio iudicat melius id ponendum. Hoc vitiu corrigitur ἀντικαταλλάξει, qua inuenimus meliora siue ea propria, siue sint translata. Sextò respiciendum etiam ad hoc: num imitatio satis sit occulta. Hoc vitium est inuentionis, & facilis in eo lapsus, quoties argumentum Ciceroniano nimis simile proponitur, cui non solùm partium numerus, sed & sententiæ, integræ rationes, adeóque ipsa verba singula facilè congruant. Hoc vitabimus hac ratione. Primò imitandæ erunt res & ipsum argumētum. Vt si apud Cic. locum habeas quem imiteris de gaudio: seu Epistolam suasoriam tum contrà propones argumentum in imitatione de dolore Epistolam dissuasoriam. Secundò commutatione verborum vtendum erit, cuius prima ratio est in synonymis, altera in translatis hac tamen perpetua lege, ne ad deteriora labaris: melius autem, si fieri potest, aut par ponendum

nendum eſt: quòd ſi neutrum detur, conſiſtendum in eo quod habes in propoſito loco. Tertiò conducet ad occultationem imitationis μετάθεσις, hoc eſt, tranſpoſitio partium. Nam interdum quæ Cic. ſecundo loco narrat, tu commodè ad principium transferes, & quæ ipſe habuit ab initio reiicies ad calcem. Ac in genere non ferendum eſt, vt planè integrũ maneat quod legiſti, ſed aliqua ſaltẽ ratione mutandum, vt videatur alienum.

DE DECLAMATIONE, Cap. IX.

DEclamatio illa nunc liberior eſſe debet quàm Epiſtolare genus ſcribẽdi: tũ quòd requirat argumentum amplius, tum etiã quòd ſpeciem habeat publici tyrocinii: cùm epiſtola intra parietes maneat. In declamatione igitur erunt hæc. Primò delectus argumenti honeſti, & quod faciat ad literarum ſtudia ſeu ad bonos mores. Secundò meditatio de numero partium, eadem ratione qua in Epiſtola. Demum tertio loco compoſitio, in qua eadẽ ſeruari debent, quæ in Epiſtola diximus. Poſt ſcriptionem debet adhiberi etiam correctio. Demum & memoria & pronuntiatio in cœtu. Nam habet ſpeciem certaminis, in quo excellere ſemper honeſtum fuit.

DE ARGVMENTO, MEMORIA, & recitatione. Cap. X.

HActenus de exercitio quod habet excitationem, scriptionem, compositionem. Nunc explicanda est ratio eorum exercitiorum, quæ sine scripto fieri debent, vt est argumentum, disputatio. Argumentum nominamus quod ὑπόμνημα, Latinè meditationes dici, seu commentationes, quoties sumitur argumentum, & sumitur etiam spacium cogitandi: sed scriptio non conceditur, nisi summaria quædam capita punctim in schedula memoriæ gratia annotentur. Hoc genus exercitii vsitatum fuit veteribus, & hodie apud multos in vsu est. Posset id ratione concionum exerceri, præsertim vernacula lingua, quò labor facilior esset: ne cura in verborum inopia tereretur, quod fieret in Latina lingua, nisi probè aliquo exercitato. Huius igitur exercitii hæ erunt partes: thema seu propositio, spacium cogitandi, memoria, & recitatio.

Nunc quod superest de memoria paucis admonebimus. Est hæc principalis præsertim in ratione dicendi vtpote custos inuentionis, dispositionis, & elocutionis. Erit igitur sæpe ista exercenda. Est autem ea in quibusdam naturalis, quæ cum homine optimè nascitur: in quibusdam est artificiosa, vtraque exercitatione

& labor

& labore est cõseruanda, vt multa ediscamus, multa cognoscamus. Nihil enim æquè vel augetur cura, vel negligentia intercidit: maior tamen ei erit adhibendus labor, cui natura negauit præstantẽ memoriã, & cui arte est conficienda & reparanda. Nec hoc loco dicimus de ista artificiali quæ constat imaginibus & locis fictis, sed de ea quæ est methodica, & præceptis Rhetoricæ & Dialecticæ nititur. Ea omnium est constantissima. Præceptum igitur huius loci erit hoc locus qui tibi est ediscendus, primò cura diligenti perlegatur: & in legendo annotẽtur certæ partes materiæ, quid proponat, quomodo confirmet, quid narret, vbi digrediatur, quando redeat ad rem, an aliquæ sint definitiones, distributiones, similia, exempla, aut aliud genus argumenti. Hæc annotata confirmabunt memoriam vt facilè addiscat connumerare etiam verba. De recitatione tantùm hoc monebimus, vt sit clara, distincta: ne sæpius ad antecedentia recurrat, antequam ad consequentia transeat, æquabilis erit & pro ratione rerum ἄρσει καὶ θέσει, nunc supprimenda, nunc eleuanda. Hoc comparabitur si pueri statim ab initio addiscant difficiliora vocabula expeditè pronuntiare, & integros versus vno spiritu sine hæsitantia exprimere. Veteres Grammatici hoc habebant in frequenti vsu vt blesis titubantibus vel alio

oris vitio laborantibus proponerent huiusmodi enuntianda. vnde apud Quintilianum ad præcepta reuocatum est, vt præceptor versus, quos nominant χαλεπὺς, requirat à pueris. Talis est ille apud Latinos.

Arx stridens rostris, Sphynx, pres ter torrida seps stryx. Apud Græcos talis est,

Γραῦν χθονίαν, αἴσχορες ῥάχιν ὐ ξίφος ἐχθρῦ.

Hæc de exercitiis seriis pro ratione temporis nunc sufficient: superest vt de remissione studiorum pauca moneamus, cui superaddemus tanquam studiosi veri typum, Phædrum ex Platone.

DE REMISSIONE STVDIORUM. Cap. XI.

REmissio studiorum instituta est ad recreationem animorum vt tanquam defatigati vigiliis & curis milites redeant maiori alacritate ad cœptum opus, ne accidat quod de arcu dicitur, frangi nimia intensione si nunquam remittatur. Erit igitur in hoc genere obseruandum istud Platonicum παιδεία ἀνάπαυλα τῆς σπουδῆς, id est, remissio diligentiæ, non autem fiat ἀναχώρησις, id est, intermissio. Meminerit igitur studiosus etiam in remissione obseruandum esse τὸ πρέπον. Et sunt quædam artes quæ in remissione tanquam per ocium & aliud agentes omnium rectissimè discun-

ſcuntur, vt eſt Muſica. Vnde rectè inſtitutæ Scholæ in die bis remiſsionem habēt animorum. Primò à prandio hora integra, ſimiliter & à cœna: quod tempus ſtudiis iudicatur ineptius, & corpori ſalubrius exercitium eſt quàm ſeſſio. Erant igitur hæ duæ horæ exercitiis & remiſſionibus deputatæ, ita tamen vt τὸ πρέπον ſeruaretur. Diſtinguimus autem hoc decorum in duas claſſes: in exercitium Muſicæ, & in exercitium corporis. Ad Muſicæ exercitium pertinent etiam reliqua liberalia animorum ſtudia. Ad exercitium corporis ſpectant luſus quos παιδείας nominant. Parabit autem ſe quilibet, vt cum paribus Latinè ſingula agat. Cogitandum enim eſt animum ſic eſſe inſtruēdum, vt os non ſolùm in rebus ſeriis Latinè poſſit proloqui: ſed etiam in re ludicra & puerilibus iocis ac commodè ſingula exprimenda ſunt Latina lingua. Iſta copia Latini ſermonis commodiſſimè petitur à veteribus qui de his ſcripſerunt, de quibus aliàs.

TYPVS VERE STVDIOSI, ex Platone. Cap. II.

VErùm vt tandem ad finem properemus, imaginem Socraticam de Phædro adoleſcente & verè ſtudioſo tanquam coronidem huic negotio cōnectemus. Extat locus in principio Phædri apud Platonem, vbi Socrates

Phædrum audiens recitantem ea quæ iam an-tè audierat à Sophista: mirificè eum commen-dat, ac inter cætera ei has tribuit virtutes. Pri-mò ἀκούειν, audire, quod fiebat sine libro, quo pacto hodie concionem audimus. Secundò ἐπα-ναλαμβάνειν, hoc est, repetere memoriter & à seipso requirere audita. Et hoc fiebat sine li-bro, vti hodie quidam à pueris è concione re-uersis, repetunt sententiam aliquam piã. Ter-tiò, παραλαβεῖν τὸ βιβλίον, hoc est, accepto libro ipsum locum qui explicatus est, inspicere, & explicationem cum textu conferre. Quartò, ἐξ ἑωθινοῦ καθίζειν, h. e. à primo diluculo stu-diis insudare. Quintò, ἀπεῖπειν εἰς περίπατον καὶ ἐξεπίστασθαι hoc est, deambulatum abire & lo-cum præsentem ediscere. Sextò πορεύειν ἔξω τείχους καὶ μελετᾶν, hoc est, commentari & me-ditari simile exemplum ad imitationem loci expositi. Septimò, πρὸς ἄλλους λέγειν, hoc est, in cœtu contubernalium imitationis exemplum recitare. Fiebat autem id eo genere exercitii quod suprà commentationem diximus. Habe-bant argumentum imitationis, seu thematis explicandi & spacium cogitandi, sed non acce-debat scriptio. Hæc cùm Socrates Phædro tri-buat, tanquam absolutissimam formam dili-gentiæ non fictæ omnibus proponit, & ita e-tiam legi debet, vt ad nostros mores & præsen-tia studia accommodetur.

Atque hæc quidem placuit hoc tempore

de ratione studiorum colligere, partim quòd id necessarium videretur. Et reuera infœlicia sunt studia nisi aliquo certo modo regantur, cuius aliqua forma potest esse hæc præsens. Deinde quòd ab officio nostro non sit prorsus alienum. Ac essent quidem plura ad hoc negotium idonea, necnon etiam necessaria. Verum ea plus temporis & plus etiam ocii requirent. vt est de locis communibus colligendis, de artium præceptis annotandis & similia quæ aliquando per ocium inspiciemus.

Epigramma de Papist. examine.

Quid mirum si cùm careant examine vero
Clerus & intonsi fæx malè rasa Numæ:
Si cathedris asinos, agnis si mitibus hircos,
Et cæcis cæcos imposuere duces?

V. C.

FINIS.

INDEX RERVM ET VERborum quæ hoc libro continentur.

A

B

C

F

M

FINIS.

